

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Disputatio Philologico-Theologica In qua Mohammedis De Jesu Christo Sententia expenditur

Basileae: Literis Johannis Brandmülleri, [1703?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863441793>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863441793/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863441793/phys_0001)

DFG

O. G. Tychoff

In hoc volumine continentur.

1. I. H. Michaelis Historia linguae aræ
2. I. Christ. Clodii de cauſis contemptus linguae
3. ih. Joh. Gaim i Schriften der Ley ~~Wittenberg~~ tractus lingue eph.
4. Remmeli Werenfelli sententia Mohameti de peste Crux 1560
5. Martin Lubata Orlens in occidente
6. Joh. Heus. Lysius de oſe linguae Syriacæ
7. Tychon Thomae Tychoff de Maran. alba Cor XLVI, 22.
8. Schieſſederus de excommunicacionibus Iudeorum
9. Jam. Werenfelli de Ceremoniis Iudeorum a pontificis scandalijs
10. Christoph. Witzler de quatuor iudaicis falso
11. Hejj. Straußii De platti koz. & v. cox.

CIB - 102 (1) 1-11.

1817

DISPUTATIO
PHILOLOGICO - THEOLOGICA
In qua
MOHAMMEDIS
DE JESU CHRISTO
Sententia expenditur

Quam

אֵלֹה אֱלֹה יְשָׁאָן

Præside

Viro Venerando & Excellentissimo

D. SAMUELE WERENFELSI

S. Theol. D. Loc. Com. & Controv. Prof.

celeberrimo, Patrono & Præceptore

æternum suspicundo

8. Jun.

Ad diem 25. Maii Æra Dion. 1703.

L. H. Q. S.

*Publico Eruditorum Examini
subjicit*

M. JO. LUDOVICUS FREY,
Basiliensis.



BASILEÆ,

Literis JOHANNIS BRANDMÜLLERI.

4

NON QUOD DEBET SED QUOD POTEST
VENERANDO VIRO

D. J. JACOBO FREY
ECCL. PAROCHIAL. AD. D. LEON-
HARD. PASTORI VIGILAN-

TISSIMO

AVO SUO

EIDEMQUE STUDIORUM SUOR. PRO-
MOTORI OPTIME INDIES DE
SE MERENTI

POST

NUNCUPATA PRO OMNIGENA EJUS
FELICITATE VOTA ARDEN-
TISSIMA

STERILES HASCE PAGELLAS
CONATUUM SUORUM PHILO-
LOCICO-THEOLOGIC. QUA-
LE CUNQUE προτέλεσον

DUM

MELIORA DEUS DIESQUE DABUNT
IN

JUGIS OBSERVANTIÆ GRATÆQUE
MENTIS TESSERAM SUBMISSE
OFFERT DISSERTATIONIS
AUCTOR

JOH. LUDOVICUS FREY.



AD L E C T O R E M.



A est linguarum Orientalium insignis & diffusa utilitas & necessitas, ut, juncto bonæ mentis studio, nihil magis ad solidam Theologiæ cognitionem requiratur. Id ego, sacris his studiis dicatus, sedulâ perpendi mente: & jactis primum fundamentis Linguae Hebraicæ, Chaldaicæ & Talmudicæ apud Celeberrimum D. Buxtorffium, Præceptorem meum in his literis incomparabilem (cujus beneficiorumque ejus ingentium in me collatorum memoriam nulla delebit rapietque sub nube vetustas) cœpi animum quoque adjicere ad Arabicam prolixâ suâ utilitate celeberrimam, ut inter alia etiam Mohammedis deliria, hâc linguâ exarata, cognoscerem. Unde specimen profectum edituro auctores fuerunt Viri graves, quibus plurima meque ipsum debeo, ut Thema aliquod Disputationis materiam ex Alcorano feligerem. Ego, qui tenuitatis & parum fausti in his literis successus bene conscientius eram, nullâ quippe vivi Præceptoris manu-ductione usus, cuique impii nebulonis nugæ tam impensè non arridebant, primò tergiversari, mox id modestè omnino recusare. Cum verò id ipsum urgere non destitissent, illis porrò id denegare religioni ducens, congesi quæ arcta domus curtaque supellex suppeditabat, nullibi ferè non obvia. Cave autem putes, Lector, me nihil omisisse eorum, quæ Muslimi de Christo tradunt. Summa tantum rerum fastigia fecutus sum. Innumeratas fabellas opinio-

A

nesque

nèsque, vulgo ipsis, nec semper ex vero, imputatas, sponte
præterii, unicè fere innexus libro illorum Authentico Co-
rano. Uſus autem sum exemplari impresso D. Hinckel-
manni, accuratissimè in ﴿ ﴽ versiculos distincto , cui ad-
junxi aliud Manuscriptum à Clar. D. Buxtorfio concessum.
Textum, ubi necesse erat, verbotenus allegavi, additâ meâ
versione Latinâ. Notum enim est, quot innumeris men-
dis scateat Retinensis translatio, quâm barbara, obscura &
ambigua sit , quâm denique confusus ordo Suratarum
aliaque vitia illam commaculent; ut optandum esset, par-
ciùs illam à Christianis contra Mohammedanos usurpa-
tam, nec s̄pē ex ambigua phraſi aut interpretis errore do-
gma illis imputatum fuisse, à quo alieni sunt. Longè huic
præferenda quidem est Versio Gallica du Ryer: sed, præ-
terquam quod nullis Versiculis interstincta sit, æquo ma-
jorem sibi libertatem tribuit Interpres, nimium elegantiae
linguae suae studiosus , dum pro libitu s̄pē addit, demit,
transponit, integrasque periodos ex commentariis inserit.
Arabica verò, defectu typorum, Hebraicis literis expri-
mere coactus fui : ubi hic modus est adhibitus , ut litera
literæ responderet: cùm verò numerus literarum Arabica-
rum Hebraicum excedat, eadem literæ, diversis punctis in-
star Arabicarum literis superimpositis, fuerunt distinctæ:
ut v. g. Arabum Thse exprimeretur, tria puncta των fue-
runt imposta. Haec paucis Te scire volui. Tu verò, Chri-
stiane Lector , sententiam Mohammedicam ita perpende,
ut tibi gratuleris de Veritate & Lumine à Deo concesso, fe-
licitatemq; tuam ritè agnoscens, Deo gratias agas: ita per-
pende, ut ad Dominum misericordiæ conversus, euimarden-
tibus Votis implores , ut tandem oculos aperiat misero fe-
ductorum agmini, illudq; luce Evangelii sui illustret, quo
Christum Dominum Deum & Salvatorem agnoscant.

DISPU-

Vale.



DISPUTATIO PHILOLOGICO - THEOLOGICA,

In qua

Inquiritur in sententiam Mohammedis circa
J. Christum, ejusque Deitas contra prophanas hujus
Impostoris argutias defenditur.

Quin longè utilissima & ad salutem
obtinendam planè necessaria sit CHristi JEsu Salvato-
ris nostri cognitio, nemo Christianorum est, qui inficias
ire ausit. Hinc est, quòd Mens pia ardentissimè deside-
ret, omnique animi nisu eò incumbat, ut indies magis & magis in
ea cognitione proficiat, sibiisque CHristus reddatur familiarior. Unde
& subinde se convertit ad diversæ Religionis homines, explo-
ranc & investigans, quæ ibi sententiae & axiomata de eo obti-
neant: tum ut eò magis ab erroribus, quibus vani mortales CHri-
stum involverant, sibi caveat, inque Veritate de eo confirmetur,
tum etiam, ut alios à tenebris ignorantiae ad Lucem cognitionis ejus
perducat. Hoc sibi semper cordi esse voluerunt pii Christi athletæ, qui
bus aliquando in acié proChristo descendendum fuit. Unus forte re-
lictus est Mohammed, cuius de Christo Jesu opinio non satis inve-
stigata & in liquido posita, tum & falsitatis convicta est. Talium
heroum vestigia, mihi, licet non passibus æquis, legenti, à nemine
æquo rerum arbitro vitio datum iri arbitror, si paucis, quantum
quidem tenuis in his literis profectus permittet, in ejus sententiam
inquiram, eamque tum ubi fidem nostram firmat, tum ubi eandem
evertere tentat, ex ejus Corano proferam. È autem methodo pro-
cedam, ut ea 1. proponam, quæ humanam ejus naturam tangunt,
ubi non unus Muhammedis nobiscum consensus, 2. quæ divini-
tatem ejus spectant, ubi nil nisi dissensus apparebit.

A 2

CAP.

CAPUT I.

De sententia Mohammedis circa Christi Humanitatem.

1. **Q**uæ Mohammed de Christi humanâ Naturâ docet, ad tria hæc capita redigi possunt: 1. ad Ejus Nativitatem. 2. Of- ficium indeque resultantem honorem. 3. Mortem ejusque conse- quentia, Quibus omnibus præmittenda sunt nomina & Tituli, quibus à Mohammed insinuitur, quæ præcipue duo sunt **אַלְמָסִיחַ** & **יִسְׁאָךְ**.

2. Nomen **יִסְׁאָךְ** idem esse cum Hebraico **וֹשֵׁעַ**, vix videtur du- bitandum. Solet enim Muhammed in Corano nomina Hebraica va- riè, servatis tamē plerumq; præcipuis consonantibus, flectere, & mo- dò per Epenthesin, modò per Prosthesin, modò per Aphæresin, modò per Metathesin, plerumque etiam per Vocalium mutationem, aliāq; ratione immutare. Sic ex Hebraico **יְנַחֲזֵק** Jona Arabicum **يُونَسْ**, ex **אַהֲרֹן** Aaron **أَهْرَونْ**, ex **לָמֶךְ** Lamech **لَمَرْ**, ex **מֹסֵה** Mose **مُوسَى**, ex **שָׁלֹמָה** Salomo **سَلِيمَانْ**, sic ex Hebraico **יְשֻׁעָה** Jesus Arabum **يُسْعَى** factum est. Bene Baidavi Alcorani interpres **אַעֲנָמִי מָעָרְבָּא יְשֻׁעָא**. **יְשֻׁעָא** Arabizatum est schua: dicunt enim **אַסְמָם אַעֲנָמִי** nomen barbarum, esse. Unde patet, quā absona & inficeta sit alia ejusdem conjectura, quā illud derivat ab Arabico **ش** albo nigroque distinctus fuit, proprièque de Camelis usurpatur. Quæ enim, ut de forma nomi- nis grammaticaque flexione taceam, significationis hujus verbi cum- derivato suo convenientia?

3. Alterum nomen, quo illum indigitat Mohammed, est cele- bre nomen **אַלְמָסִיחַ**, quod ipsi quoque frequentissimè in Alcorano at- tribuitur. Unde Suratâ 3. v. 40. **אָسְמָה אַלְמָסִיחַ עִסְׁיָהּ אֶבְןָ מִרְסָךְ**. Nomen ejus est Almasicho, Isa, Filius Mariae. Et hoc quoque nomen idem cum Hebraico **מָשִׁיחַ**, quo Christus in Sacra Scriptura notatur, esse, dubitare nos non finit tum radicalium identitas (enim, dem- to pro more **לָא** articulari, planè idem est cum Hebræorum **מָשִׁיחַ** & Arabico Sin inter se, ut ubique, permutatis) tum Arabicæ S. Scri- pturæ Versiones, tum & ipsorum Arabum, nominatim Baidavi con- sensus. Licet verò agnoscant, hoc ex nominibus maximè nobilibus esse, tamen non multum de Significatione vocis sunt solliciti: Unde Samachscharius in Alcoranum Commentator existimat, esse tantum

tantum distinctivum, quod hoc modo Christus ab aliis dignoscatur & secernatur, instar aliorum nominum priorum. At Baidavi paulo scrupulosius in Etymologiam vocabuli inquirit, variisque ejus notationes illi accommodat, licet partum feliciter: Dicitur, inquit, מִן־אַלְמָסֶחּ לְאַנְהָ מֵסֶחּ בְּאַלְבְּרָכָה אֹו בְּמַא־תְּהִרְהָ מִן־אַלְנָבּ
 או מֵסֶחּ אַלְאָרֶץ וְלָם יְקַם פִּי מִזְעָן אוֹ מֵסֶחּ גְּבָרִילְיָהּ
 sit creatus in benedictione (& haec est communior Arabum derivatio)
 aut quod Deus eum purum servaverit a criminibus, aut peragaverit terram,
 nec subfiterit in ullo loco, aut unixerit eum Gabriel. Quid vero opus, omnes Arabicæ vocis Significationes sollicitando, tam ridiculas confingere etymologias ab illo, qui concedit esse originis Hebraicæ,
 cum vel tyronibus notum sit משׁ apud Hebræos nil aliud notare,
 quam ungere, unde משׁ undus: quo tandem per ambages Baidavius pervenit; licet deceptus Alcorani sui næriis,unctionis auctorem Gabrielem assignet.

4. Circa Conceptionem & Nativitatem Christi (ut rem ipsam aggrediamur) docent nos Sacræ Literæ, illum à B. Virgine Maria per actionem Spiritus S. modo quodam miraculoso nobisque incognito imprægnatâ & sanctificatâ genitum, ab eaque veram humanam naturam accepisse, sine interventu Viri tamen, huncque conceptum ab Angelo Gabriele, non sine stupore Virginis intactæ nulliusque sceleris conscientia, illi prænunciatum fuisse. Nihil ferè horum est, quod non itidem suis inculcaverit Mohammed, & ut infigne miraculum deprædicaverit. Unde tam frequens appellatio Christi in Alcorano אֶבֶן־מִירֵי Filius Mariæ, ad designandum, illum quidem Matrem habere, Patrem non itidem. Notandum enim, Arabes ut plurimum in descriptione nominum priorum, vel omnino Parentum nomina silentio transmittere, prout plerumque in Corano, vel homines à Patribus aut Filis, omissa matre, denominari: Sic celebris in Alcoranum Commentator Samachscharius vocatur Abul Kafsim Mahmud ibn אֶבֶן־עֲמָרִי אֶבֶן־מַהְמָדֵר Omar ibn Mohammed &c. Sic Medicus Avicenna ibn סִינָא Sina. Cum ergo huic so'i Matris nomen adjungatur, subsit causa aliqua necessæ est hujus agnominationis, quæ non alia est ab ea quam indicavi. Egregie Samachschari: אלְאַבְנָאָא יַנְסְבּוּן אַלְאַלְאַכְאָא לְאָא אלְאַבְנָאָא פָּאֻלָּמָת בְּנַסְבָּתָה אַלְהָא אַנְהָ זְלָד שִׁיר זְבָב פְּלָא

פֶּלְאָ יַנְסֵב אֶלָּא אֶלָּי אַמְתָּח | Filii denominantur à Patribus : non vero à Matribus : discùs igitur ex denominatione ejus (*Isa*) à Matre, quod natus fit sine Patre, nec denominetur nisi à matre sua.

5. Et quid multis? Integrum hujus rei processum, Angeli alioquiū, Mariæque responsum, miraculum hoc plenè confirmans, describit Suratā 3. v. 42. & seq. Ne verò quis de hujus rei *adversariū* conqueratur, subjungit v. 52. modum, quo id factum sit:
אֵן מַתָּל עִיסִּי עַנְד אֱלֹהִים כְּמַתָּל אֶרְם חֲלָקָה מִן תְּرָאֵב תְּמַלְּךָ
לְהַז כְּנַפְּכָוּן : Ut *Uigil* similitudo Iesu apud Deum est sicut similitudo Adami : quem creavit ex pulvere, dein dixit ei: *estō*: & erat. Agnoscit Mohammed miraculi hujus veritatem, ne quis verò dubitet de ea, ac si res esset nullius exempli, immo impossibilis, proponit creationem Adam im quā eadem vis & omnipotentia lese exeruerit, quae in nativitate hac ex sola Virgine. Hunc dicti sensum esse confirmat Samachshari glossa:
אֵן שָׁאוּעִיסִי וְחַאֲלָה כְּשָׁאוּן אֶרְם חֲלָק אֶרְם מִן תְּרָאֵב וְלָסִין :
Conditio & status Iesu est sicut conditio **חֲלָק עִיסִּי** ; *Adami* : *Creavit Deus Adamum ex pulvere, nullo tum Patre & Matre existente* : *Eodem modo Iesum.* Quin & ipsius Spiritus S. operationis mentionem facit, licet non eandem personam intelligat. Sur. 21. 91.
וְאַלְתִּי אֲחַצְנָת פְּרָגָה אֲפָנָה נְפָחָה פִּיהָ מִן רֹחֶנָּא וְגַעֲלָנָה אֲבָנָה אַיִּה
לְלֹעֲלָמִין (Maria) munitam custodivit pudicitiam suam: & inspiravi-
mus ei de spiritu nostro; posuimus *g* eam & filium ejus signum vel miraculum
scientibus, vel (in saeculis.)

6. Unde quoq; sortem & conditionem Mariae immensum quantum extollunt , illam ut omnium mulierum felicissimam celebrant,cui Deus tantū Filium tam prodigioso miraculo editum indulserit Sur. 3:37.
קָאַת אַלְמָאִיכָה יֵא מִרְים אֶן אֱלֹהָה אַצְפָאָך וְתוּרָך
Dixerunt Angeli , ô Maria , certè elegit te Deus , purificavitq; elegit te supra fœminas sacerdotum , id est , interprete commentatore
וחב לך עיסי' מן עיר אב ולס יין לדך לאחרך מן
אלנסאא: Dedit tibi Isa sine Patre , nec hoc contigit ulli unquam mulierum. Unde & illā inter Mulieres perfectas, quasquatuor tantū numerant Asia, Mariā, Hadigā & Phatimā, recensent, insigni scilicet honoris genere illā ornaturi. Mitto iñumeras fabulas & mēdacia circa hūc partū Virgineum

Virgineum; tum propriâ insanientis ingenii lubidine confictas, tum ex antiquorum Hæreticorum sterquilinio collectas, tum & ex Libro quodam nugacissimo, *Evangelium Petri de miraculis Christi infantis*, inscripto, immani furto translumtas, de educatione Mariæ, Cibatione ejus cœlitus suppeditata, de Tempore quo uterum tulerit, de Trunco Palmæ, ubi partum ediderit in lucem, de modo aliisque quæ nugivendulus homo sectatoresque ubique crepant.

7. Vix tamen silentio transmitti potest insignis stupor & crassissimus Mohammedis error de Parentibus Mariæ. Existimat hic verè, נבי אלאמי, *Propheta illiteratus* [quis enim ei hunc titulum, quanto in Corano gloriatur, invideat?] Mariam natam fuisse ex Amrano Patre Mosis & Aaronis, confundens Mariam sororem Mosis & Aharonis cum Θεοτόκῳ. Cum enim ex Exod. 6. cognovisset, Mariam quandam appellari Mosis sororem, sine ulteriori inquisitione conclusit hanc eandem esse cum Matre Iesu: eodem arguento, ac si titulus Muhammed, quo plurimi Arabum insigniuntur, necessario quem in magnum Orientis Prophetam commutaret. Viderunt hoc saniores Muslimorum: ne verò turpissimum hunc Pseudoprophetæ sui lapsum & ἀνιρωησίαν confiteri cogantur, solito acumine, non quæ scripsit dixit've, illi attribuunt, sed quæ scribere debuisset, quodve dixisse, optarent. Unde desperatione adæsti, modò ipsum Scripturæ textum follicitant, modò sensum alienissimum & insulsiuum ei affingunt, modò duos fingunt Imranos, unum N. alterum V. T. quòd hoc dedecus Prophetæ sui pallient, & nil profuturo fuso obliniant: incassum enim laborant insurguntque contra lucem meridianam: En ipsa impostoris verba in non alium sensum torquenda Sur. 3. 30. & seq.
או אלה עצפי ואל אבראים ולא עמראן-אל קאלת אמראת עמראן
רב אני נורת לך מאז פ' בתני- פלמא וצעתהא קאלת רב אני
ouceתהא אני- ואני סמיההא מרים- פכפליה ובריאא
Certè Deus elegit Adamum & Noachum & familiam Abrahæ & familiam Imrani - cum dixit Uxor Amrani: Domine, utiqz vori tibi, quod est in ventre meo - & postquam enixa fuisset illam, dixit: Domine, certè enixa sum foemellam - vocariqz eam Mariam - & educavit eam Zacharias, Pater Iohannis Baptiste, quem ejus infantiae præfecit Mohammed. Porro audire gestirem, quænam sit illa Maria Sur. 19.
cui

Qui ad ingressum Angeli attonitæ v. 17. promittitur puer ex illa
oriundus, cœteraque omnia, quæ antè ex Sur. 3. citavimus, attri-
buuntur. Sanè nî omni sensu oculisque careant, de alia intelligi ne-
queunt, quâm de Matre Iesu. Hæc tamen ipsa, quæ v. 28. מרים
Maria vocatur, mox sequenti versu compellatur יי אחות הרוּ
O Soror Aaronis. Sed satis de puerili hoc errore, quem oculi aperti
refellunt.

8. Accedimus ad munus & Officium Christo impositum, de
quo etsi Mohammed, ignorans videlicet Regium & Sacerdotale
ejus munus, non tam magnificè sentiat, in doctrina tamen de Offi-
cio ejus Prophetico non adeò longe à nobis abit. Credimus præeunte
S. Scripturâ, Iesum magnum illum Prophetam, in Veteri Testa-
mento sæpius promissum, suo tempore à Deo missum in hunc mundum
fuisse, ut populum de verâ salutis viâ instrueret, ac in fide Pa-
trum confirmaret, additis magnificis & stupendis operibus & mi-
raculis. Omnia hæc itidem credunt Muslimi. In catalogo Prophe-
tarum à Mohammed Sur. 4. 161. contexto notatur & פסא. Sic & Sur. 6. v. 4. unde & nomen רסל אללה Apostolus Dei, ab
אرسل misit, ei attribuitur, quasi missus in mundum, qui hominibus viam
salutis monstraret. Nec hoc modò: quin & sub V. T. sæpius pro-
missum concedunt: hinc inter alia ei quoque Vaticinium Iacobi de
Schilo applicant, indequæ Christum Messiam esse probant. Præ-
clara profectio Ahmed Ibn Edris de hoc loco sunt verba, probaturi
in Iesu prophetiam hanc impletam esse: ubi tandem in hæc Verba
desinit: וְהוּ דָלִיל קָاطֻע עַל נֶבֶה עִיסִי עַל הַיְהוּדָאִים וְאֵן מֹסִי עַמִּים
אֲחֵר אֲנָהֶם יִכְונְנו פִי דָלִיךְ וְקַת עַל בָּאָטָל וְאֵן אַלְחָק שָׁתִי מִן אַלְמָסִית
פִרְחָץ אַלְבָאַטְל בְּאַלְחָק Atq[ue] hoc argumentum convincit de Prophétia Iesu:
Super quo sit pax, nunciavit enim Moses, f. m. illos futuros eo tempore Vanitati
addictos, veritatem autem venturam cum Messia, abluturo Vanitatem Ve-
ritate.

9. Missum igitur à Deo in mundum, mandatum ejus plenè
executum, promissiones & Legem confirmasse, populum in via
Iustitiae instituisse. Evangelium accepisse & tradidisse, rebellibusque
& incredulis gravissimas penas denunciasse constanter docet Mo-
hammed. Sic enim Angeli, Sur. 3. 43. puerum ex Maria nascitu-
rum illi comendant: יְعִלָּמָה אַלְכָתָאָב וְאַלְכָמָה וְאַלְחוּרוֹה
וְאַלְאַנְגָּל

וְאֶלְעָנָגֵל וּרְسֹולֵל בָּנֵי יִסְרָאֵל :
 Et docebit (Deus) illum Librum & Scientiam & Legem & Evangelium, & Legatus erit ad Filios Israel. conf.
 וְמַצְרָקָא לְמַא בֵּין יְדֵי מִן אֶלְתּוֹרִיהַ-פָּאֲתָקָא אֱלֹהָה וְאֶתְיוֹן אֵן .
 Et verificabo [ipse] five, confirmabo , quodcunq; coram me est de
 אלֹהָה רְבִי וּרְבָנָם פָּאַבְרוֹה הָרָא צְרָאת מְסֻתְקִים ;
 hic loquens introducitur] five, confirmabo , quodcunq; coram me est de
 Lege - Timete igitur Deum & obedite mihi : Utiq; enim Deus Dominus meus &
 Dominus vester est : colite illum . hæc enim est via recta . Addantur his ver-
 ba Iesu , quæ jam in curis locutus fuerit Sur. 19. 31 .
קָל אָנָי עַבְרָה .
 אלֹהָה אֲתָאַנִי אֶלְכְתָאַב וּנְעַלְנִי מִבְּרָכָא אִינְמָא כָּנָת וּנְעַלְנִי נְכָנָת
 וְאוֹצָאַנִי בְּאֶלְצָלוֹה וְאֶלְכוֹהַ מֵאֶרְמָת חַיָּא
 Dixit, Ila, ego sum Dei mi- &c.
 minister , tradidit mihi librum , constituiq; me Prophetam , meq; felicem & bene-
 dictum posuit , ubicunq; fuero : injungit mihi preces & eleemosynam , quoad
 vivam &c.

10. In specie vero & præcipue ad munus ejus pertinere credit
 Mohammed Evangelium, à Deo per Angelum ei traditum, filiiisque
 Israel iussu Numinis propositum. Hujus passim non sine magno ho-
 nore mentionem facit : hoc populo ut Librum sapientissimum &
 Deo dignissimum commendat : ad hoc gravibus verbis saepius illos,
 qui curâ salutis suæ ducuntur, cœlestisque fœlicitatis compotes fieri
 volunt , amandat : gravissimas econtrâ poenas acerbamque Dei
 iram , negligentes & contemnentes manere ingeminat. Elogium
 ejus describit Sur. 5. 50 .
אֶלְעָנָגֵל פִּיהָ הָרִי וּנוֹר וְמַצְרָקָא לְמַא בֵּין יְדֵי
מִן אֶלְתּוֹרִיהַ וְהָרִי וְמוֹעֵטָה לְלִמְתָקָן וּלְחִיכָם אַהֲל אֶלְעָנָגֵל בַּמָּא אָנוֹל
אֱלֹהָה פִּיהָ :
 Et dedimus Iesu Evangelium , in quo est rectus ductus & lu-
 men , & confirmat id quod ante datum fuit de Lege , in quo , inquam , est rectus
 ductus & monitum Deum timentibus : & judicet populus Evangelii juxta id ,
 quod Deus demittens docuit in eo . Poenam vero à Deo incredulis & ino-
 bedientibus infligendam proponit Sur. 3. 49 .
פְּאַמְּנָא אַלְדִּין כְּפּוֹרָא .
 פְּאַרְבָּהָם עַדְאָנָא שְׁדִידָא פִּי אַלְדִּנָּא וְאֶלְאָחָרָה וּמָא לְהָם מִן נָאַצְרָן :

Quicunq; vero infideles fuerint , puniam illos poenâ gravi in mundo hoc &
 futuro , nec erunt adjutores vel patroni ipsis . Præmium vero sequenti-
 bus verbis v. 50. &c. Unde & in articulis fidei Mohammeda-
 norum , à Propheta mox post vocationem suam propositorum , re-
 ferente Elmacino , ultimus est , ut quis זְרַק אֶלְעָנָגֵל וְאֶלְתּוֹרִיהַ re-
 rum agnoscat Evangelium & Legem .

11. Non descendam nunc ad speciales Iesu conciones , ad-
 monitiones

monitiones, vel Vaticinia, à Mohammed non uno in loco Alcorani descripta: Animadversione tamen non indignum videtur audax & impudens impostoris commentum Sur. 61. 6. propositum.
ואָרְקָל עִסִּי אֶבֶן מַרְיָס יֵא בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֲנִי רֹסֶל אֱלֹהִים
אליכם מזeka למא בין יורי מן אלתרה ומכשרא ברסל יאתי מן
בערי אסמה אחמד פלמא נאהם באלבינאת קאלאה הרא סחר מבינו:
Dixit Isa: O Filii Israel, projectò sum Apostolus Dei ad vos, verificans Legem quam habemus, annunciansq; Apostolum venturum post me, cuius nomen est Ahmed: postquam autem venit cum claris signis, dixerunt: ha sunt præstigia manifestæ. Dictat hic Mohammed, Iesum jam olim sibi testimonium præbuisse, suumq; adventum, quin & nomen diu antequam cognitum fuerat, prænunciasse.
אַחְמָד enim idem nomen cum **מחמד** esse docet, tum Etymologiæ identitas, utroque à Rad. **חַמְדָה** laudavit, & in 2da Conjugatione valde celebravit, derivato, tum promiscuus harum vocum usus, tum & Baidavi glossa. Huc etiam pertinent verba Samachschari:
אלנבי אלמווער אלדי הוא מכתב פ' אלהויה ואלאאנגל' וזה מחמד:
Propheta promissus, qui est scriptus in Lege & Evangelio, is est Mohammed. Hæc scilicet erat causa, quare Mohammed tantis honoribus Iesum prosequeretur, tot encomia in Evangelium congregaret, illud omnibus tantâ curâ & serio commendaret? Sic sane videtur. Unde præmia promittuntur sedulis hujus Suratae Lectori bus.
מן קרא סורה אלסף כאן עיסי מצלא עליה ומסתעפרא לה מא
Qui legerit Suratam Saff: ,
ראם פאלרניא והוא יומ אלקימה רפיקה:
Ordinis, pro eo Iesus orat, & remissionem peccatorum pro eo petit, quamdiu erit in hoc mundo, dieq; resurrectionis socius ejus erit.

12. At verò cedò locum, ô Mohammed! quo libro, quo capite, aut versiculo Evangelii hoc nomen legitur? Vel ubinam ea lacuna, ubi id necessariò antecedentia & consequentia, orationisque tenor efflagitet? Omnidò, inquit Ahmed Ibn Edris, en locum Ioh. 17. 16. 17. hic est ille Παρακλητος, hic Mohammedis nomen olim lectum. Hicne verò ille Paracletus? Qui tot innocentissimorum hominum capita infestis & cruentis armis impetiit? Hicne ille Spiritus Veritatis, quem mundus non capit, qui tot carnales & mundanos homines deliriis & vanissimis commentis

mentis excœcavit , tot sermones apertâ fronte pugnantes ut to-
tidem Oracula cœlitus delapsa , protulit ? At , ubi tandem ejus
nomen habemus ? Evolvantur omnia N. Testamenti , primæ , me-
diæ & infimæ ætatis , exemplaria , conferantur omnes Orienta-
lium & Occidentalium translationes , addantur vetustissimorum
Patrum & Commentatorum animadversiones , & vel unicum
proferatur alicujus fidei exemplar , in quo nomen hoc lectum.
Quæ porrò hujus eradendi ratio , quid exinde utilitas ? Quid
impulisset homines ante Mohammedem tantâ sœvitâ in ignotum
sibi nomen uti ? Quis tandem adeò potens , ut omnia Evangelii ,
Versionum , Commentariorumque ejus exemplaria , ne unico
excepto , in manu habuerit , innocentissimumque nomen infausto
obelo configere & effurcillare in animum induixerit , nemine
mortalium ad tale nefas reclamante. Hæc Prophetam illum prius
animo volvere & perpendere æquum fuisset , priusquam tam
apertum áque omni verisimilitudine remotum mendacium orbi
propinasset.

13. Alio modo sibi evadendum ratus Ahmed Ibn Abdolha-
lim , *Nomen Paracletus* , ait , idem notat quod Ahmed : omnino ergò
Mohammed est ille Paracletus. Quid ? quasi verò tam rudes &
ignari essemus , ut hoc tam facile nobis persuaderi sinamus : Quis
unquam audivit , græcam vocem Παράκλητος idem notare ac , lau-
datissimus vel celebris ? Fallitur nugivendulus homo , & crassam suam
inscitiam nimis quam manifesto prodit , confusa hâc voce cum
illa περικλευτὸς inclitus : adeò nil nisi errores & mendacia spirant
isti homines. Quantò convenientius idem Author aliud Iesu va-
ticinium Prophetæ suo accommodant Ioh. 14. 30. *Venit enim Prin-
ceps mundi hujus, sed in me non habet quicquam :* ubi per Principem hu-
jus mundi intelligit Mohammedem. Bellè sane , acutè , nihil
supra ; quām egregiè honori Magistri sui consultit fidissimus disci-
pulus ! Unicum , quod hic culpamus , est , quod hoc ad deprecia-
tionem & depressionem Christi nostri speget . Sic enim corruptè
locum hunc exprimit Ahmedus : אַרְכּוֹן אֶלְעָלָם סִיאָתִי וּלִסְפִּי , Princeps mundi veniet , & non erit in me quicquam. Hoc , inquam ,
ead tendit , ut doceat Diabolum vel Mohammedem [liceat enim ,
præente doctore Muslismo , hæc nomina permiscere] religionem

& doctrinam Christi aboliturum. Cæterum de hoc encomio, Prophetæ suo tam fervidè vindicato, quis ei litem moveret?

14. Videmus ergò Iesum à Mohammed ut inclytum Prophetam & Apostolum Dei, doctrinamque ejus ut purissimam & castissimam laudibus tolli: nondum tamen subsistit. Illum enim stupendis operibus & miraculis, divinæ suæ doctrinæ fidem facientibus, celebrem fuisse, porrò docet. Sic enim Suratâ jam sæpe citatâ 3. v. 43. ipse loquens introducitur.

אני קד ניתכם באיה מון רבכם אני אהلك לכם מון אלטין כהיה אלטיר פאנפה פיה פיכון טירא באון אללה ואברי אלאכמה ואלאברץ ואחוי אלמותי באון אללה ! *Utiq ad vos veni cum miraculo à Domino vestro : ego creabo vobis aliquid ex luto instar formæ avis , in quod inspirabo , erig̃ avis permissione Dei . & sanitati restituam cœcum ab ortu & leprosum , & vivificabo mortuos permissione Dei . Plane his gemina sunt , quæ recenset Sur. 5. 110. ubi addit:* **פְּקָלֵן כִּפְרוֹא** *Cum adduxisti , Iesu , illis clara miracula , dixerunt , quicunq; erant ex iis infideles , nihil hoc aliud est nisi manifestum fascinum . His tandem subjungit Historiam miraculi cuiusdam à Iesu patrati : quæ ex vero corrupta videtur eadem esse cum illa Ioh. 6. Apostolis mensam è cœlo variis instruetam ferculis desiderantibus , Magister eorum indulget: precibusque ea de re ad Deum susis , mox Deus è cœlo illam demittit. vid. v. 112. 113. 114 &c.*

15. Tanta & talia cùm Muhammed de Iesu nostro tradat, non mirum est illum maximo apud illos honore celebrari. Unde Sur. 3. 40. vocatur **וְגַהֲאָ פִּי אֶלְדָנִיא וְאֶלְאָחָרָה** *Illustris in hoc mundo & in futuro : Quâ vero ratione illustris ? Dicat hoc Baidavi : Præstantia illa consit in hac vita in Prophetia , in altera vero in intercessione . Cùm igitur tam preclaro epitheto à Mohammed decoretur , nulli alii Prophetarum ab eo attributo , patet illum ceteris ex sententia ejus præstare : quod idem ex aliis illi tributis demonstrari posset. Nec huic obstat , quod habetur Sur. 5. 79. **מֵאַלְמָסִיחַ אֶבֶן מֶרֶסֶת אֶלְאָ רְסֻולְ קָדֵם** *Christus Mariæ Filius non est nisi Apostolus , jam venerunt ante eum alii Apostoli , & Mater ejus justa est , ambo comederunt cibum . Licet enim facile dem , illum non unâ contradictione se se involvere , tamen in hoc loco nullam**

nullam video pugnam cum eo, quod jam prodixi. Nam antecedentia docent, Mohammedem his verbis aliud non intendere, quam ut Christum neget esse Deum: Unde subjungit, in hoc Prophetis ceteris omnino similem, nec ullo modo superiore, nudum quippe hominem, cibo & potu indigentem: licet interim ei non denegat varias prerogativas praeter ceteris Prophetis, quas alibi tangit.

16 Hanc Magistri de Christo opinionem sequuntur ipsius discipuli (apud quos nomen Christi in magno honore) ipsum insignem miraculisque clarum Prophetam fuisse, fatentes, nec absque elogio de eo loquentes: Sicut Turcae ipsius nomini honoris titulum praefigunt, illum **חֶזְרָתָ עִם** *Haddrette Isa* appellantes. Nec hoc modo: tantâ reverentiâ ejus nominis cultiores saltem ducuntur, ut si forte injuria ipsi illata fuerit, graviter indignentur, & quandoque eam ulciscantur. Varia hujus rei exempla e gentis illius Historiis proferre liceret. Unicum nunc compendii ergo à Thoma Smith Anglo V. C. in *Epistola de Moribus ac Institutis Turcarum*, scripto consignatum adduxisse sufficiat. Judaeus quidam Gallipoli urbe Thraciæ maritimâ ad Propontidem, mercatori Anglo male infensus, postquam putidissima convitia in illum evomuisset, tandem etiam, quod illum maximè ureret, Christo maledixit. Verum non impune tulit Verpus hanc impiam oris virulentiam: abripitur ad ædes Iudicis: testes adducuntur, qui ipsum *Haddrette Isa* D. I. probris & conviciis lacestivisse confirmant: factum liquebat: sine morâ igitur fustibus illum coedi Iudex mandat (nec enim longâ deliberatione in re aperta opus erat) in tantæ blasphemiae pœnam.

17 Et haec quidem Mohammedis de Christi Officio honori- que illi debito fere sententia in Alcorano descripta, est. Ubi videre licet non unum, cum Christianis consensum in hoc nobilissimo capite. In ruborem dare hoc meritò Judæos deberet, qui tantopere Christum nostrum abominantur, nec horrendis conviciis ejus sanctissimum nomen proscindere verentur, illum nonnisi **דָרְשָׁנִים** **מָמוֹר**, **נוֹצֵר**, **הַמּוֹלֵךְ**, & quæ alia splendida bilis & liventis animi æru- go nomina dictat, nuncupantes. Qualisunque tamen hic sit con- sensus, non tollit in pluribus dissensum, præsertim circa Christi munera. Nam 1. ignorat Mohammed officium ejus Regium &

Sacerdotale , quæ geri nequeunt sine naturæ divinæ participa-
tione , quam abnegat , de quo postea . 2. Circa ipsum Munus Pro-
pheticum conceptus fovet valde imperfectos . Cùm enim Christus
proprio nec aliunde accepto lumine gauderet , nec aliunde Spiritu-
tum , in proprio corpore hospitantem , accipere necesse haberet ,
Mohammed divinitatem ejus abnegans , in hoc cæteris Prophe-
tis planè similem existimavit : ex quo fundamento porrò judica-
vit , ministerium ejus non secus ac aliorum Prophetarum externâ
tantum operâ absolvi : cùm tamen Christus mentem ipsam inte-
riori sermone alloquatur , vietamque sub jugum mittat . Porrò 3.
Evangelium , in quo conciones Christi conscriptæ sunt , variè ma-
culatum & adulteratum ad nos pervenisse credit . Nec 4. de ejus
miraculis satis præclarè sentit : cùm enim prope innumera , inque
omni fere naturæ parte ea ediderit , vix unius atque alterius , nec
sine mistura fabularum mentionem facit : cumque illa pro arbitrio
& propriâ potestate peregerit , ea omnia Mohammed solius Dei
potentiaæ ascribit : unde miraculis Iesu continuò subjungit , illa facta
esse בָּרוּ אֱלֹהֶיךְ permisso Dei . unde 5. mirum non est , honori ejus
non plus Mohammedem consulere , seque illi longe præponere :
quæque alia etiam discrimina non pauca eluent .

18. Sequitur tandem finis Vitæ Christi ejusque mors , circa
quam iterum diversus à nobis abit Mohammed . Passionem enim
Christi silentio transmittens , mortuum , crucifixum , resuscita-
tumque omnino negat . Ne verò omnis veri color huic commento
desit , utque tot testimonia de morte Christi eludat , rem hoc mo-
do , testibus Mohammedanis , concepit . Iudæi undique discur-
rentes , Iesum Salvatorem ad crucem quæsiverant : Subito verò
tumultu non satis cauti alium in ejus figuram & similitudinem
mutatum (Iudam vulgo dicunt) ejus loco arripiunt , eumque
condemnatum infelici patibulo affigunt . Christus verò elapsus
interea in cœlum à Deo per tectum elevatur , ad extremum diem
ibi permanens . Hinc vulgo creditum Christum mortuum ,
cùm tamen ejus vice alius crucem perpessus sit . Ipsum verò audia-
mus Mohammedem eadem fere docentem Sur . 4. וּבְכִפְרָה וְלֵילָה עַל מִרְיָם בְּהַתְּנָא עֲשִׂימָא וּקְוָלָהּ אֲנָא קְתַלָּנָא אַלְמָסִיחָ
עִיסִּי אָבִן מְרִים רְسֻׁול אֱלֹהֶיךְ וּמְאָתְלָה וּמְאָצְבָּה וּלְכָנו שְׁבָה לְהָם
וְאַנְגָּלְדִין אַחֲתְלָפְאָה פִיה לְפִי שְׁךְ מְנָה מָא לְהָסָבָה מִן עַלְמָא לְלָזָה
אַתְבָּא

אַתְּבָאָעַ אַלְטָן וּמֵאַ קְתֻלָּה יִקְנֵא בְּלַ רְפֻעָה אֱלֹהָה אֱלֹהָה :
Propter infidelitatem suam (induravit Deus Iudeos) & propterea, quia dixerunt contra Mariam contumeliam magnam, cum dixerunt: nos utiqz occidimus Messiam Jesum, Filium Mariæ, Apostolum Dei: nec tamen eum interfecerunt: nec crucifixerunt: certe visum tantum est illi. & quicunqz de hoc controvertent, habent dubium de eo, nec quicquam de eo sciunt: Sed tantum opinionem sequuntur, nec interfecerunt eum verè: Sed elevavit eum Deus ad sese. Clarius aliquanto id exponit Samachischari Commentator, dum ita Christum discipulos alloquenter introducit.
אַיִסְטָרֶץ יְרֵצִי אֲזַי לְקִי עַלְיהָ שְׁבָחַ פִּיצָּלְכָּ פְּקַתְּלָלְכָּ אַלְגָּנָה פְּקָאָלְ נְמָהָס
אֲנֵא פְּלִיקִי אֱלֹהָה שְׁבָחַה פְּקַתְּלָלְכָּ: *Quis vestrum vult indui:* **imagine meā**, & occidi, & crucifi*gi*, ingrediz in hortum [Paradisi:] dixit quidam ex illis: Ego: conjectit igitur Deus imaginem ejus in eum, & occisus crucifixusz fuit: **וְהַם יִתְנוּן אָנָּה עִסִּי וְהַם יִתְּנַעַן אָנָּה עִסִּי** illi verò existimarunt, bunc fuisse Jesum.

19. Unde opinionem hanc hauserit, non adeò difficile est conjectare. Cum enim satis constet, illum à Sergio, Monacho variis hæresibus imbuto sæpius delusum, antiquas & sepultas hæreses velut ex orco revocasse, sicut hujus non unum in Alcorano extat indicium, primum est colligere, illam veterum Cerdonianorum, Maccionitarum, Cerinthianorum aliorumque, Christo non verum corpus sed φάντασμα quoddam imponentium, Docetæ inde dictorum, erroribus & deliriis incunabula sua debere. Planè geminum, ovumque ovo non similius, quam Basilidis circa hanc rem somnium Mohammedis sententiæ est, quod Irenæus & Epiphanius describunt. Iesum enim ad crucem deductum, transfigurâsse Simonem Cyrenæum in suam speciem, ut nemo non existimârit, illum fuisse Iesum, ipsum verò vicissim Simonis figurâ fuisse induitum, impius homo nugatur. Iesum porro Spectatorem egisse, irritosque conatus non sine cachinno tuentem, illæsum cœlum petivisse somniat. Digna scilicet visa impuri hæretici Sententia Prophetæ, quam aliquatenus interpolatam, Iudæ in locum Simonis substituto, populo suo instar oraculi commendaret, acriter in dissentientes invectus.

20. At verò tantam apud nos vim Pseudoprophetæ insultus impiaque deliria non obtinent, ut è vestigio in ejus sententiam nullâ

Nulla omnino ratione nixam, omniumque fere hominum consensu repugnantem, manibus pedibusque descendamus. Charior nobis illa mors, firmior illius apud nos recordatio, preciosior denique ille pro mundi peccatis fusus crux, quam ut his verborum ampullis ab ejus certitudine dimoveamur. Quam enim 1. hujus tuæ opinacionis affers rationem, ô Mohammed? Quis Evangelistarum aut Apostolorum, imo quis fide dignus historicus hujus vel verbo mentionem facit? An sufficerit haec dictare? **האות**

בדראנכם פאות נכתבים אין כנהם צאדקין:
Date demonstra: rationes vestras [liceat enim Te tuique similes iis verbis alloqui, quibus subinde nos licet injustè oppugnas] proferte librum vestrum si vera dicitis. Sur. 21. 24. & 38. 17. Credendum scilicet absque examine erat homini, de tot manifestis contradictionibus, fabulis, crassissimisque erroribus convicto. 2. Annon id Prophetarum Oraacula clare & disertè prædixerant, Christum non alium passurum? Vide Psal. 22. Esaj. 53. Dan. 9. Ἐχεταῦτα ἐδει παθεῖν τὸν Χριστὸν καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ. Luc. 24. Annon id omnia V. T. Sacrifica, variæq; ceremoniæ diu jam ante in hunc finem institutæ adumbrarunt? In quem porrò V. T. Patrum fides & spes à Sacris Scriptoribus tantopere sæpius celebrata, totque umbris & figuris sustentata, ferebatur? Christum an verò Iudam? ne siverit id Deus!

21. Et 3. Quis crediderit, tot mille hominum, cum præter solennem confluxum Paschalis festivitas numerum auxerit, summa diligentia ad omnes ejus nutus attendantium, oculos ita fascinatos fuisse, ut nulli horum de fraude suboluerit? Quis crediderit, Christum fidelissimos suos discipulos, cum quibus tam familiariter ante egerat, quosque de mysteriis Regni cœlorum instruxerat, non id abnuente Mohamme, subito mutatum ita deseruisse, ut omne commercium cum illis abruperit, tamque turpi errori mancipatos reliquerit, quod non ipsi tantum errarent, sed & myriades hominum præconio suo seducerent? At forte de hoc errore à Magistro moniti tamen alios seduxerant! Quæ verò dissimilatio hujus ratio? Quid utilitatis ex veritatis hujus occultatione natum? Imo annon longè plus ex ejus propalatione sperari poterat? Unde carceres, equulei, exilia, mors denique nisi ex mortis

mortis Christi , indeque sequentis resurrectionis publica testificatione ? Miseros mortales ! qui solâ erroris confessione vitam redimere , multoque majorem hominum numerum ad doctrinæ suæ assensum pertrahere potuissent : quibus enim Christus crucifixus non erat scandalum ? Porro quomodo tandem Dei Providentia excusabitur ? Christus à Iudeis ad mortem queritur : in aliam figuram conversus elabitur : alius & pessimus ejus loco patibulo affigitur : omnes Iesum Nazarenum crucifixum esse credunt : Apostoli ejus id sedulo omnibus inculcant , id unum ferè agunt : ut Christus crucifixus & mortuus colatur : quoque facilius fidem in Φειδομαρτυρίᾳ inveniant , Deus illos plenissimā miraculorum præstandorum potestate instruit , ipso fatente Mohammed non uno in loco : infinitus hominum numerus , miraculorum vi ac Splendore adactus , illis assentitur . Quid verò innocentissimi mortales commeruère , ut ita illis inanissimo errore , in quo tamen proram & puppim fidei suæ constituerent , illudetur ? Quomodo Deus absolvetur & purgabitur à seductionis patrocino , qui errorem jam omnium ferè animos occupantem , longiusque suâ sponte serpentem , porro confirmare , & stupendis operibus , Apostolorum ministerio editis , homines ad assensum tantum non cogere voluit ? Quibus & addi possent plurima alia , quibus hæc veritas in liquido collocaretur die : adeò extra omnem dubitationis aleam posita est.

22. Quin & ipse Mohammed , ubi sibi ipsi eripitur , & mentis sanitatem recipit , illi testimonium perhibere subinde videtur . Vitam Christi in Alcorano certis limitibus circumscribit , mortisque ejus expressam mentionem facit : nec ipsam resurrectionem ejus tacet . Quid enim aliud sibi volunt verba illa Sur. 19. 31. quibus Mohammed Christum jam in cunis concionantem inducit :

קָلְ
אָנֵי עָבֵד אֱלֹהִים גָּלַןִי מִבָּרְכָה אִינְמָא כָּנָת - מֵאֶ רֶמֶת חַיָּא
וְאַלְסָלָם עַלְיִם וּלְהַזְּיוּם אֲמָתִ יְוּם אֲבָעַת חַיָּא ;
Dixit ,

Iesus , sane sum servus Dei - posuit me benedictum ubi cunḡ fuero : quamdiu vivam - Salus & pax erit super me , die quo natus sum , die quo moriar , & die quo in vitam resuscitabor . Ne quis verò existimet , puerum adhuc in cunis vagientem , minùs forte consideratè locutum fuisse , nequid satis de futuro suo statu informatum , ea effatum fuisse , quæ postea dedidicerit , statim seq. v. ad infantis sermoni plenam fidem

C

הָלֶךְ עִם אָבִן מַרְיָמָן קֹל אֱלֹהִים :
Hic est Iesus Filius Mariae verbum veritatis, vel, hoc est dictum;
אלְרִי פֵּיה יִמְתַּרְוּן אַלְכָּה
verissimum Jesu , de quo tamen dubitant. Et ne quis forte id de alia
morte , metaphorica vel alio modo Christo propria , capiat , ean-
dem adhibet phrasin , ubi mortem Iohannis Baptista describit:
v. 15. Pax עליה ימות ווּמָתֵת חַיָּא ;
וְאַלְסָלָאָם עַלְיהָ יָמוֹת וְוּמָתֵת חַיָּא ;
super illum , Iohannem , die quo natus est , & die quo morietur , & die
quo in vitam resuscitabitur . Fabulam verò illam , Christum aliquando
in terram reversurum , ab Angelo mortis occidendum , quadra-
gintaque annorum intervallo expleto resuscitandum , parùm
curo , cùm illius in Alcorani Textu nullibi fiat mentio . Huic
quoque convenit Morbisani Turcæ testimonium , qui de cruci-
fixione & morte Christi non aliter ac de re certa & inter contribu-
les suos recepta loquitur . Hæc enim ejus ad Papam Pium secun-
dum sunt verba : Populos Judeorum exosos semper habuimus , quia pro-
ut in historiis antiquis & Chronicis audivimus , ipsi proditorie & per invi-
diā eundem Christum vestrum Prophetam Hierosolymis tradiderunt Præfidi
Romanorum , quem in crucis patibulo mori fecerunt . Dissimulandum
tamen non est , totam hanc Epistolam νοθείας suspicione labora-
re , àque Romana Curia , non primo fraudis exemplo , confitam
& suppositam quibusdam , licet non satis certo , videri , ut huic
Testimonio non multum deferendum videatur .

23. Quicquid de tota re sit , id saltem ex doctrina Moham-
medis licet erronea patet , illum & in hoc nobiscum consentire,
quod Christum vivum in cœlum ascendisse credat: unde & illum
in cœlo colloquentem cum Deo introducit Sur. 5. Quin & illum
aliquando , ut Iudicem à Deo constitutum , redditum in terram do-
cet , citante Guadagnolo , in Sonna :
וַיַּנְוֹל עִם אָבִן מַרְיָמָן אֱלֹהִים ;
Et descendet Iesus Filius Marie; אלְאָרֶץ וְקַוְתֵּם פִּיהָ חַכִּימָה אֲרֹן אַלְכָּה ;
in terram , & stabit in ea Judeus vice Dei . Tanti non duco aniles fabu-
las illas , quibus nugacissimus homo ejusque Sectatores populo
illuserunt , de Cœlo septimo Christi habitatione , de myriadibus
illis Angelorum , de processu Iudicij extremi , Christique in eo
partibus , aliisque sine numero , ut Lectori ulterius tedium creare
sustineam , prolixâ earum recensione : quin potius secundam hu-
jus Diatribæ partem , de Christi Deitate B. C. D. adgredior.

CAPUT

CAPUT II.

De sententia Mohammedis circa Christi Deitatem.

1. **Q**ualiscunque in variis articulis Mohammedanorum & Christianorum fuerit dissensus hucusque, talis tamen non fuit, quin saepius & in pluribus luculentus itidem apparuerit consensus cum dogmatibus Christianorum. Nunc vero planè alia rerum facies sese aperit, hic in omnia alia à nobis abit Mohammed, hic nil nisi pugnas & certamina cogitat, omnem nobiscum concordiam respuens: hic cristas erigit Propheta, certissimumque sibi de nobis triumphum pollicetur. Hoc est illud sublime dogma, toties in S. Scriptura revelatum, tot Hæreticorum veterum & recentiorum calumniis impeditum, de æterna J. Christi Deitate, quod ubique oppugnare conatur. Concedit equidem J. Christum fuisse Prophetam & Apostolum summum, intaminatâ probitatis laude fulgentem, Deo intimè carum, stupendorum operum patratione clarum, Dei iussa summâ fide exequentem, & quæ porrò non ultra hominem ascendunt. At vero statim ac ad Divinitatem ejus per ventum est, indignatur, & ad prælium sese acuit.

2. Quóque felicius bellum conficiat, assumit veritatem aliquam certissimam & à nullo sani sincipitis in dubium vocatam, eamque nobis ut reverè sententiam nostram destruentem, opponit. Veritas illa Dei Unitas est, quam in omnibus ferè Suratis crepat, illā nos arctè constringendos, ratus. En quam amicè & benevolè, ut videri vult, nos hac de re compelleth Sur. 4. 169.
יְאֵה אַלְכָתָב לֹא
תעלוא פִּי דִינֶם וְלֹא תָקֻלוּ עַלְיָ אֱלֹהָ אַלְכָתָב אַנְמָא
אלְמַסִּיחַ יִשְׁיָהוּ אָבִן מִרִים רְסֻול אֱלֹהָ וְכָלְמַתָּה אַלְכִיָּהָא אַלְיָ מִרִים
וּרוֹחַ מְנֻחַ פָּאמְנָא בְּאֱלֹהָ וּרְסֻלָּה וְלֹא תָקֻלוּ אַתְּהָ אַנְתָּהָוָא
חִירָא לְכָם אַנְמָא אֱלֹהָ וְאַחֲרַ סְבָחָנָה אָז יִכְןַּה לָהּ וְלֹדָא
O Popule Libri (nomen hoc est Christianorum & Judæorum in Corano) ne exorbitet in Religione vestra, nec loquamini de Deo nisi veritatem. Sane Messias Jesus Filius Mariae nuncius Dei est, & Verbum ejus, quod immisit in Mariam, & Spiritus ab eo (Deo) credite in Deum & Apostolos ejus: negat: tres sunt (Dii:) abstinet: melius vobis erit. Nam Deus est Deus unus

unus: absit ab illo, ut ei sit Filius. Nullibi non ejusmodi periodi occurunt. Unde & Symbolum sibi ascivit, Dei Unitatem professum, nobis etiam ab illo oppositum: **אֱלֹהָה וְאֶחָד** vel **לֹא אֱלֹהָה אֶלָּא אֱלֹהָה**. Non est Deus nisi Deus, vel Deus unicus. Sur. 112. **קָרְבָּן** **חַדֵּשׁ אֶחָד** - **לֹם יְוָה וְלֹם יִכְןּוּ לְהַכְפֹּת אֶחָד**: gignitur: nec similis ei est quisquam. In tanto honore hæc Surata apud Muslimos est, ut annulis & laminis æreis eam inscribant, cumque ea 70000 Angelorum ordines è cœlo demissos nugentur. Unde & ab Impostore inscripta est **סُورَةُ الْأَلْهَلَالِ**. Surata sinceri cultus. Dici vix potest, quanti istud symbolum apud illos aestimetur: hoc semper & ubique crepant, hoc chartis & parietibus illinunt: hoc in agone mortis constituti pronunciant: hoc præcones populum ad preces convocantes ante orationem in Templis proclamant, hoc Sacerdotes funera comitantes, identidem concinunt, hoc labaris & vexillis appingunt, hoc numismata signant, &c.

3. Unde & celeberrimum in Alcorano Christianorum nomen **Assiociatores**, seu, qui DEO socium adjungunt, **אלמשרכין**, inquit Commentator. Centies ingeminat: **לֹא נִהְיָה יְשֻׁרְכוֹא בְּאֱלֹהָה**: **עֲבָדְךָ אֱלֹהָה** **וְלֹא תְשֻׁרְכוֹא כְּנַחַשׁ**: **Colite Deum, nec ullum ei adjungite socium.** Imò & talibus gravissimam poenam aeternamque Dei iram interminatur. Sur. 48. 6. **וַיַּעֲבֹד אַלְמָנָאָפָקִין** **וְאַלְמָשְׁרָכִת** **וְאַלְמָשְׁרָכָת** **אַלְפָנִין** **בְּאֱלֹהָה** **שְׁנִי** **אַלְסְׁוֹיָה** **וְאַלְמָנָאָפָקָת** **וְעַזְבָּאָלְסָוָה** **עַלְיָהָם** **וְלֹעֲנָהָם** **וְאַעֲדָה** **לָהֶם** **עַלְיָהָם** **רָאֵרָה** **אַלְסָוָה** **וְעַזְבָּאָלְסָוָה** **עַלְיָהָם** **וְלֹעֲנָהָם** **וְאַעֲדָה** **לָהֶם** **גְּנָנָם** **וְסָאָתָה** **מִצְרָא** **וְעַזְבָּאָלְסָוָה** **עַלְיָהָם** **וְלֹעֲנָהָם** **וְאַעֲדָה** **לָהֶם** *Et puniet hypocritas mares & foeminas, & associatores & associatrices, qui opinantur de Deo opinionem malam: illis incumbet fortuna mala: & iratus est illis Deus, & maledicit illis, preparavit illis infernum, locum pessimum.*

4. In specie generationem Christi à Patre planè ignorat, illum Filium Dei dici non permittit, filiationemque aliam præter eam ex Maria non agnoscit. Hinc Samachsharti, postquam Dei primitatem & existentiam omnia cœtera præcedentem, descripsisset, subjungit: **אֵת כָּרְבָּלָאָבָר** **וְאַלְמָסִיחָה** **עָבֵד מְחֻלָּק** **בְּסָאוּר אַלְעָבָר**: *At Christus servus creatus est, sicut reliqui servi!* Ejusque prærogativam præ reliquis Prophetis in sequentibus collocat in miraculosa ejus nativitate & illustri prophetia, conf. quæ suprà. Interdum quoque propter hanc filiationem gravissime in nos invehitur, cœlum & terram inclamans:

clamans contra talem blasphemiam. vid. Sur. 19. 91.
אֶלְרָחַמֵּן וְלֹדָא לִקְרָב נִתְּמָם שֵׁיא אֲדָא תְּכָאָר אַלְסְמוֹאָת יְתְּפָטָרָן מְנָה וְתִנְשָׁקָן
אַלְאָרֶן וְתִחְרָבָל הַרָּא אַז דָּעָא לְרָחַמֵּן וְלֹדָא וּמֵא 'יְנֻבָּע'
Et dixerunt : suscepit Miserator Filium : sane ; adduciis rem nefandam. Parum abest , quin cœli propterea fiantur , & terra fiantur , & cum stridore decidant Montes : quia adscribunt Miseratori Filium. Non decet Miseratorem, ut accipiat Filium.

5. Hæc quidem est Mohammedis & Aſſeclarum conſtantis de Deitate Christi ſententia. Memorabile tamen & lectu dignissimum eſt, quod D. Hinkelmannus ex traſtatu Anglo Pauli Ricaut proferit. Refert ille, ſectam quendam exortam ſchuböl Messhi, Populus Mессиæ dictam, in aula Imperatoris Turcici, jamque per totam Constantinopolim diſfusam, dogma hoc tueri, Christum verum Deum & mundi Redemptorem eſe : illi nobilem Juventutem in aula firmiter adhærere: imò eosque fidem hanc apud illos roboratam eſſe , ut non dubitet hoc nomine martyrium subire , ne gentisque redituræ parcere vitæ. Mirandum hoc ſanè: optandumq; ut plus nobis de hac ſectâ conſtaret.

6 Quicquid de hoc ſit, recepta apud eos ſententia ea eſt, quam ex Alcorano propofui. Ut igitur falsitas illius eò magis eluceat, (nemo enim non videt, falsissimum nobis dogma Polytheismi afingi) breviter ſententiam noſtram circa hanc materiam, prout in facris Literis traditur, proponam. Credimus ergò fide non dubia 1. Deum Ens primum & perfectissimum eſſe unicum, ab eoque cætera omnia dependere : polytheismum omnem quācunque ſpecie introductum, vel colore fucatum, toto corde averſamur ; nec ex Scripturâ duntaxat, ſed ex ipſo rationis Lumine τὸ ἀδύνατον ejus doceamus. Interim 2. cùm id nobis non plenam Ideam Dei det, porro ex Dei revelatione credimus illum unicum Deum eſſe τριευπόσαλον, ſeu tribus personis conſtantem, ſeu Deum ita Effentiâ eſſe unum, ut tamen in ea Effentia ſint quædā, quæ non ſint diversa tantum nomina, aut attributa, aut denominations, ſed alio quodam modo, nobis non ſatis cognito, diſferant. Utque 3. ſcimus Personam illum primam, Patrem, eſſe ἀγέννητον & ἀναρχον, tam ratione Effentiæ, quam Personæ, ita ſecundam, τὸν λόγον, ratione personali-

tatis suæ ab illo, modo quodam arcano & *κατεύθυντω*, actu æternō genitam esse, sine tamen ullâ divinæ Essentiæ mutatione & imperfectione, itidem è Scripturâ edocti credimus. Tandem & 4. secundam hanc Personam olim humanâ carne indutam, è cœlo descendisse, opusque salutis nostræ gnaviter peregrisse, tum sanctissimæ doctrinæ promulgatione, additis præclaris miraculis, non alienâ potestate patratis, tum pretiosissimo *λύτρῳ*, irato Patri ob peccata soluto, tum & gubernatione & defensione Ecclesiæ longe potentissimâ: utque adeò hæc opera consideranda sint, non ut nudi hominis, sed ut *θεανθρώπων*.

7 Supervacuum esset, singula hæc prolixis S. Scripturæ testimoniis comprobare, contraquæ blasphemias Mohammedis tueri: sed nec omnia argumenta nostra pro Christi Deitate afferre, animus est: cum hæc nullibi non obvia sint, parumque fortassis Scripturæ testimonius proficeremus. Id tamen à nobis flagitat amor Christo debitus, ut Filii titulum, improbè illi ab infidelibus abjudicatum, vindicemus, exindeque ejus æternam generationem & deitatem affruamus. Quandoquidem verò constat, Mohammedanos non eundem omnibus Scripturæ Libris honorem deferre, nec hâc in causâ Pauli scripta admittere, ex quibus Deitatem ejus invictè demonstrari posse, concedit Ahmed Ibn Sin Alabedîn, illis solùm innitemur, quos ipse Mohammed testimonio suo comprobat, & ut Verbum Dei suspicit. Indubie id fatetur, de Lege, Psalmis, & Evangelio, ad quorum sedulam Lectionem & Considerationem Judæos & Christianos adhortatur. Pertinet huc id, quod tradunt de Muhammede, interrogatum? *כִּסְמֵן אֱלֹהָי מִן כְּתָב:* Quot Deus demississet Libros? *קַל מָיוֹת וְאֶרְכָּבָתָה כְּתָב מִנָּהָם עַלְיָם עֲשֵׂר צָהָפָן וְעַלְיָן אֶבְרָהָיִם עֲשֵׂר צָהָפָן וְאֶלְטוֹרִידָה וְאֶלְגָּנִילָה וְאֶלְבוֹרָה וְאֶלְפָרָקָן:* Respondisse: misit centum & quatuor, ex quibus decem Libri traditi sunt Adamo, decem Abrahamo, & Legem, & Evangelium, & Psalmos, & Koranum. Dicimus itaque, ex his Libris, à Deo demissis, [licet interdum sub his titulis plures Scripturæ libros Mohammedanis comprehendendi non ignoremus] certò constare, Jesum non nudum Mariæ, sed & Dei Filium, & per consequens Deum esse; id quod ex sequentibus patebit locis.

8. Psalm 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qui personam

sonam hanc alloquitur , est ille, qui habitat in cœlis, furoresque ho-
stium vanaque molimina ridet,breviter הָרַחֲבֵת . Persona verò , quam
alloquitur,vocatur ejus Filius, & ne quis de denominatione hâc hæ-
reat scrupulus , additur à Deo : *Ego Te genui* : ut simul titulus hujus
Personæ proponatur, tum & ejus fundamentum innuat. Ex quo
id primùm & ante omnia manifestum est contra Mohammedem,
Deum habere Filium,falsoque eos,qui ei Filium tribuunt,ab eo nun-
cupari אלכָאפְרֹן abnegatores. Quis verò est ille Filius Dei? Id præ-
terquam quòd ex Epist. ad Hebr. cap. 1. 5. & Actis Apost. Mo-
hammedi non plane repudiatis : cap. 4. 25. evinci posset , evi-
denter etiam patet ex v. 2. ubi vocatur , משיח , quo nomine ipsi
Mohammedi venit Christus J. Imdò hoc adeò in confessio est,ut & ipsi
Muslimi Veritati testimonium præbere cogantur. Præclarum est,
modò & exemplarium fide firmatum , quod profert Ph. Guada-
gnolus ex celeberrimo illo Firausabadii Lexico Arabico , Camus
dicto , sèpiusque in libro suo repetit : Ubi ita Arabs : אֱלֹהָנוּ וּמֶלֶךְ
אלֹהָנוּ וּגְלֹעִים צָלָאֵלָה עַלְמָה וּסְלָמָה אַנְתָּא וְאַנְתָּךְ :
Et ex eo dictum Dei fortis & excelsi ad Jesum , cui orationes Dei & pax:
Tu es Filius meus & ego genui Te. Ubi aperte id tribuitur Jesu , quod
aliás non ita facile largiuntur. Porro ex hoc Messiae titulo neces-
sarià consequentià infertur , illum esse Deum. Cùm enim filius
necessariò sit ejusdem naturæ cum Patre , ipsique Mohammedani
ex ejus nativitate ex Maria colligant , illum esse verum & nudum
hominem , Filius Dei eodem jure eandem habebit cum Patre essen-
tiā , & per consequens Deus erit: Hoc adeò verum est, ut ferè
non alia de causa illi titulum Filii denegent , quàm quia vident ,
exinde sequi manifestò ejus Deitatem. Id patet ulterius ex operibus
& honore,in sequentibus illi attributis. Cujus enim est Reges & po-
pulos,ut vasa figulina,conterere? Cuinā terrarum Orbis in possessionē
est datus ? quemnam Reges osculari,timere & confidere tenentur,
nisi Deum æternum ? Claram ergò est ex hoc loco,Deum omnino
habere Filium,ex se genitum,illumque aliū non esse,quàm J.Chri-
stum , inde essentiæ , attributorum & gloriæ divinæ participem.
9 Ne verò existimant adversarii , in unico hoc loco reperiri
hanc denominationem , age, videamus , quid Evangelium nos do-
ceat. Hic verò deprehendemus , nihil usitatius , & frequentius esse
hoc

hoc titulo. Deus ipse Math. 3.17. hoc illum ornat: Christus tantum abest, ut illum respuat, ut potius nullibi non illum sibi vindicet, Judæosque eripere illi conantes, graviter & severè objurget. Joh. 5. 18. 19. Apostoli ejus similiter in hoc se à cæteris distinguunt, quod credant, illum esse Filium Dei viventis. Matt. 16.16. Utq[ue] constet, illum Filium Dei esse modo quodam planè peculiari, vocatur & μονογενὴς παρὰ πατρὸς, ὁ ὀνεὶς τὸν κολπὸν τὸν πατρὸς. Joh. 1. 14. 18. Mirati subit insignem Mohammedis ignaviam dicam an potius malitiam? qui, cùm verba illa ab initio capit is de τῷ λόγῳ, de Christo intelligat, unde & illa in Coranum suum transtulit, de quo mox: tamen eum Deum aut Dei Filium esse, negare ausit, cùm tamen unum æquè à Johanne Christo tribuatur ac alterum.

10 Quid verò ad hæc regerent Muslimi? An ad solenne suum, prout solent veritatis vi & luce convicti, confugient, Scripturam à Judæis & Christianis esse corruptam? Hujus locis non est, prolixè Scripturæ Integritatem contra illos probare: Consulantur Theologorum Systemata. At quodnam hujus suspicioñis argumentum proferunt? Aut quæ hujus probabilitas? Et si forte uni vel alteri loco audaces quidam violentas suas manus intulissent, quod tamen pernegamus, quî fit, ut in tam variis locis, à tam variis scriptoribus, toties, sensu optimo & convenientissimo id scriptum? Verùm fontium integritatem [quid enim necesse esset de hac re cum homine ἀλέγων prolixius disceptare?] sufficienter comprobant fidelissimæ antiquorum Versiones, quæ hic in tam variis locis unanimi consensu veritati attestantur.

11. Quis verò risum teneat, quando Ibnol Athir, cum quo ex parte convenit Alfrausabadius, ita Psalmistæ verba corrigitem audit. פִּי אַלְאָנוֹל קָאֵל לְעֵימִים אָנָּא וְלַדְתָּךְ אֵי רְבִיתָךְ כְּכֶפֶת
In Evangelio dixit, Deus, ad אלְאָצָרִי וְגַעֲלוֹתָה לְהָ וְלַדְתָּךְ סְבָחָנָה: Isa: ego Waladtoea id est educavi te: at Christiani, sublatu Tesdid, ipsum ei Filium posuerunt, Absit ab eo. En acumen! Evangelium substituit in locum Psalmorum, supinâ ignorantiâ, ac si ex eo desumptum esset id testimonium. At demus hoc. Quomodo ergo Crisin suam instituit? Vocem וְלַדְתָּךְ Christiani, inquit, acceperunt in prima Conjugatione, cùm tamen ea sit sumenda in secunda, notâ Tesdid insignitâ. Qui verò hoc? An Evangelium vel Psalterium lingua

Linguâ Arabicâ conscripta sunt , ubi voces illæ ita possunt permutterari ? At & hoc παρόπαμα largiamur , quid tum ? Vox וַיְהִי in secundâ Conj. idem notat quod id est , *educavi te* : nihil ergò in hoc loco de generatione : Bona verba , quæsd. Cedò hujus significationis exempla ! Sicne ipse Arabs linguam suam ignorat ? Sane , testibus Guadagnolo & Golio in Lexico , at quantis in hac lingua Viris ! in hoc sensu non reperitur hæc vox . Quid verò tandem voci בָּנִי fiet ; an illam Christo relinquit ? an concedit illum esse Filium Dei ? Nil minus : sed , ut insaniæ cumulum & mantissam addat , conjectat , illam per literarum transpositionem , converso in נָבִי Propheta meus , legendam esse . Tot velamentis , ut de ἀλληλογίᾳ verborum nihil dicam , & præstigiis opus erat , ad inevitabile hoc telum declinandum .

12 Speciosior paulò est exceptio Ahmed Ibn Edris , quam sic urget .
מִנְחָס מִן קָאֵל בֶּל לְאָנָה סְמָאָה אֲבָנָה וְהוּ בְּאַתְּלָ לְמַיָּא :
פִּי אַלְתוֹרִיה אֲזַנְיָה תְּעַלָּה קָאֵל לְמוֹטִי לְבָנִי בְּכָרִי יִסְרָאָאֵל :
Sunt ex (Christianis) qui dicunt (illum esse Filium Dei) quia sic Deus appellavit eum : sed hoc vanum est : in Lege enim extat , Deum excelsum dixisse Mosi : Filius primogenitus Israël . Sed 1. mirum , si Ahmed concedit , Jesum vocari Dei Filium , contra omnem forte Mohammedis & asseclarum consuetudinem : imò certum est , Mohammedem non aliâ fere de causâ , huic titulo adeo infensum esse , quām quia existimat , exinde necessariò sequi , illum esse naturalem & essentialē Dei Filium : Si ergò illi hanc appellationem concedit , frustra ad similia exempla provocat . Sed 2. notandum , nos non ex solo hoc vocabulo Filii , argumentari : ac si ex eo , quod alicubi forte vocetur Filius Dei , hanc ejus generationem & Deitatem necessariò inferremus : Sed , quia causa vel modus statim , Ego hodie genui Te , additur , quod de nulla unquam creatura ita dictum , invenimus : tum & idem toties & tanta cum emphasi ei attribuitur , ut hujus filiationis modum longe alium cogitare necesse sit , quām si id de alio homine usurpetur : Breviter , talem filiationem intelligimus , ex quā Iudei ipsi abjurati Christi hostes inferebant , Christum Ἰησούν ἐκυτὸν ποιεῖν τῷ θεῷ Joh. 5. 18. imò θεὸν ipsum Joh. 10. 33. Frustrà ergò in contrarium allegatur Loc. Exod. 4. 22. quem nemo non videt , Metaphoricè intelligendum esse .

D

13. Quando-

13. Quandoquidem verò tam difficilem se præbet Mohammed in Scripturæ testimoniis admittendis, Christiani aliam viam ingressi sunt, ad Deitatem Christi ei persuadendam. Observabant, Impostorem in Alcorano suo subinde variis & apertis contradictionibus se ipsum jugulare: *Unde*, licet tories & tanto cum ferve re ingeminet Dei unitatem, ruspati sunt tamen & repererunt in Corano, quæ hisce dictis opponerent, Christique θεοτήτα vel ipsius testimonio confirmarent. Locus, qui ad hoc probandum vulgo affertur, extat Sur. 3. 40. *וְאֵת מִרְמָה אֲנַזֵּן אֱלֹהָה בְּכֶלֶמֶת*
O Maria, inquiunt Angeli, certe tibi Deus misericordia ipsa annunciat Verbum suum, cuius nomen est Christus Jesus. Addatur id quod ante ex Sur. 4. 169. prolatum fuit. *Sane Messias Jesus nuncius Dei est, & Verbum ejus - & spiritus ab eo.* Ex quibus locis varia proferuntur argumenta, Deitatem Christi adstruentia. 1. contendunt, Epithetum illud, *Verbum Dei*, desumtum esse ex Evangelio Johannis, nec de alio posse intelligi, nisi de Verbo Dei Hypostatico. Quicquid enim, ajunt, in Deo est, & ad Dei intellectum pertinet, aliud non est, nisi ipsem Deum; dicere itaque Verbum Dei, est, dicere Deum ipsum: Confirmatur id argumentum ex eo, quod hic singulare aliquid tum Christo ipsi adscribatur, (quippe cum hoc elogium nulli Prophetarum in Alcorano tributum legamus) tum & Mariæ, quæ hoc nomine omnibus mulieribus in antec. præfertur: Cùm ergò modo tam singulari Christus nominetur Verbum Dei, concludunt directè exinde Deitatem Christi. Idem 2. probant ex altero adjuncto, *Spiritus Dei*: absurdum & impossibile est, inquiunt, Deum unquam fuisse sine Spiritu, Anima vel Sapientia: Cùm verò Mohammed fateatur, Christum esse Dei Spiritum, largiatur necesse est, eum ab æterno in Deo fuisse: Unde rursus sequitur, Christum esse æternum & per consequens Deum. Alia mitto.

14. Tanti talia argumenta omnibus visa sunt, ut nullus eorum qui Mohammedis refutationem aggressi sunt, illa omiserit; quin potius ut de re confessa gloriati fuerint. Quin scopus eorum fuerit optimus, Zelus pro Christi gloria, misericordiaque hominum in vera doctrina informatio, non est quod dubitemus. Utinam verò eadem soliditate & convictione apud præfractos animos urgeri possent,

possent, quo proferuntur candore. Ego, liceat pace tot & tantorum Virorum, dissentire, sic existimo, sicque animum induco meum, ut credam, talia argumenta, prout vi & soliditate destituuntur, nec multum ponderis apud infideles habitura: quod ut palam fiat, sententiam meam sequentibus Aphorismis exhibeo.

15. Primum lubens do, Mohammedem non uno in loco sententias apertâ fronte pugnantes proferre: Unde forte alicubi, licet tantopere alias à Deitate Christi admittendâ abhorreat, incogitanti varia eandem adstruentia excidere potuerunt. 2. Nec id difficulter concedo, appellationem illam *Verbum Dei* à Mohammed ex Evangelio Johannis, sive mediâtè sive immediate, in Coranum translatam esse. Cùm enim notum sit, Impostorem variis spoliis è Scripturâ petitis Librum suum exornasse, quin & hoc inde mutatus sit, vix videtur dubium: præsertim cum & Arabica Johannis translatio idem hîc vocabulum **כֶּלֶב** usurpet. Sed & hoc 3. certum est, Johannem per illam appellationem omnino indigitare æternam Christi Deitatem; quod nullo negotio ex initio ejus Evangelii constare potest. 4. Positis tamen & concessis his omnibus, nondum tamen ex Corano demonstratur ejus Deitas. Non enim, si verba ex Johanne desumpta sunt, mox & in significatione eorum cum Johanne convenit Mohammed. Fallax omnino est hæc regula: Hi authores iisdem utuntur nominibus, idemque aliqui tribuunt: ergò & eadem sentiunt. Idem nomen, eadem vox in ore unius longè plus valet, quam in alterius Christiani Deitatem Christi agnoscentes, & ex omnibus circumstantiis Evangelii Johannis Emphasim vocis **λόγος** cognoscentes, nonnisi personæ divinæ convenire judicant. Hac vocis notatione præoccupati, nec de alia cogitantes, incident fortè in locum Alcorani, ubi eâdem voce Christus venit: unde mox colligunt, idem hic Christo ascribi à Mohammed, quod illic à Johanne: Inde sibi Deitatem Christi firmiter demonstrasse videntur. Hac verò ratione quid non demonstrari potest? Ne longius abeam, norunt Christiani, nomen **Χριστός** Christo in maxima **εμφάσει** in Scriptura attribui, eoque ordinationem ejus ad opus redēctionis peragendum, unctiōnemque ad omnia ejus munera designari. Hoc eodem nomine illum insignit Mohammed. An verò eodē significat? Quis tam male

fanus , ut exinde Mohammedem redēptionem generis humāni ,
infinito Christi χριστῷ peractam , omniaque ejus munera & officia
credere , affirmare ausit ? Idem ex aliis vocabulis Scripturæ & Co-
rano communib⁹ , palam est .

16. Descendendum verò ad specialiora , & videndum , quid
tandem propriè illis hoc nomine veniat . Audiatur de eo Samach-
scharius : dicitur ita **לֹא נָתַן יְהִי אֶלָּא בְּכָלְמָתָה אֱלֹהִים וּבָרוּחָה :**
Quia natus est non nisi Dei verbo solo : consentit Baidavi glossa :
בְּדָרְךָ עִםָּיו לֹא נָתַן יְהִי אֶלָּא בְּמִרְאֵתָה :
*Sic appellatur quia ad Verbum seu mandatum Dei extitit absq; Patre , & Ju-
ventus ejus miraculis conspicua fuit , &c. Hos ergò si audiamus , nil mi-
nus quam ejus Deitas hoc nomine designatur ; referunt id ad mira-
culosam ejus nativitatem ex Virgine sine interventu Viri , quam
Deus omnipotenti suo Verbo & Jussu operatus fuerit : alias deno-
minationis causas mitto . Concedo itaque hoc nomine peculiare
quid Christo & Mariæ tribui : at Deitatem inde concludi nego .*

17. Nec majus momentum alteri argumento , ex voce Spir-
itus petito , inest . Non enim per Spiritum intelligunt Vitam vel Es-
tentiam Dei , ex quo dein possit colligi , Christum semper in Deo , &
sic Deum fuisse . Longè exilius & tenuius quid apud illos sonat hæc
vox : quam & Angelo Gabrieli vindicant . Vide Suratam Maria ,
ubi Spiritus Dei commentatori est Gabriel . Christo verò tributum
quid sibi velit , dicat rursus Samachschari : Ita appellatur , quia habet
Spiritum **בְּאַלְנְטָפָה אַלְמַנְצָלָה מִן אַלְאָב אַלְחֵי אַנְמָא אַחֲתָרָע**
instar spermati , quod מִן עַד אַלְילָה וּקְדוּתָה חַלְצָה :
manat à Patre vivo : revera à Deo & absoluta ipsius potentia productus est .
Clarior aliquantò est Gelaloddini glossa , nescio an eadem cum
priori : Spiritum enim Dei interpretatur per **רוּחַ מִנְחָה** *habens*
Spiritum ex eo .

18. Cum itaque perspicuum sit , hæc argumenta non multum
ponderis habitura ad Deitatem Christi illis persuadendam , venien-
dum tandem est ad illorum argumenta , quibus impuri homines
Christi Solium tentare , & Sceptrum ejus laceſſere non formidant .
Licet enim tam sint insipidæ & infelices illorū argutiæ , tantumque
nærias vix in pueris ferendas nobis occinant , ut inutilis videri pos-
set labor , in nugis his refellendis , insumendus , tamen non mi-
nimum

nimum nos promovisse censere possumus, si præjudicia circa hanc rem, quæ illos tam à nobis reddunt alienos, prius illis exemerimus, nebulamque, quæ oculos ipsorum moratur, abstulerimus. Et sanè in hac cum illis disputatione inde incipendum videtur. Percurramus ergo præcipias ipsorum objectiones contra Deitatem Christi.

19. Primò objiciunt nobis Dei Unitatem. Quomodo enim, si Christus etiam Deus est, Deus unus erit? Vid. Sur. 5. 77. Resp. hanc meram esse fidei nostræ ignorantiam: non enim statuimus, tres esse Deos, ut nobis falsò illic imputat impostor, nec Christum esse Deum separatum & distinctum à cœteris personis. Tunc Dei Unitas laederetur, si crederemus, Christum esse Personam à cœteris realleriter distinctam, diversamque essentiam possidentem. At verò omnino profitemur, unicam numero Dei Essentiam, licet certis personis communicatam. Huc quoque pertinet solennis Mohammedis objectio, *Deum non habere socium aut æqualem*. Sur. 112. Verum nil nisi nugas agit Impostor, & ludit in voce. Quid enim hoc sibi vult, *Deus non habet socium?* An significat Deum ita esse unum Essentiā, ut ea nullius pluralitatis sit capax, sitque adeo unica in Deo Persona? At hoc id ipsum est, quod negamus, quodque argumentis à Prophetā probandum fuisset. An verò hoc notat, Deum ita unum esse & singularem, ut nulla extra ipsum diversa natura ei similis detur, sicque adeo nihil in creaturis sit, quod ei æquari possit, tunc id haud gravatē largimur, sicque non nostram sententiam impugnat, sed cum propria larva luctatur. Non enim præter unum verum Deum alium inducimus ei plane similem, sociumque quasi impari negotio ei jungimus: Sed potius polytheismum in totum damnamus.

20. Objicit 2. Deum non habere Uxorem, ut potuerit Filium generare: בְּרוּ אֶלְסָמוֹת וְאֶלְאַרְצָן יִכְנֶה וְלֹדָא וְלֹא תִּכְנֶן Conditor Celi & Terræ, quomodo habebit Filium, cum ei non habeat Uxor, Sur. 6. 101. Dignissimus profectò Dei Apostolo rerum divinarum conceptus! Quasi verò in Deo Physica intelligenda esset generatio, vel illa ad naturalis Generationis modulum esset exigenda. Adeo turpissimus nebulo carnalibus voluptatibus erat deitus, adeo flagitiosa & uxoria vita mentem ei ademerat, ut non nisi σαρκικὰ permixtionesque corporales cogitare potuerit, atq;

ad omnem sublimiorem spiritualemque conceptum stupuerit. Non sumus adeo vecordes & dementes, ut Deum ex connubio Filium generasse credamus: omnis hic conceptus carnalis removendus: nil nisi θεοπρεπὲς cogitandum. Licet verò, quæ mentis nostræ hebetudo mysteriique sublimitas est, ad Veritatem hanc caligemus, nec modum hujus æternæ generationis cognoscamus, ipsa tamen ob concipiendi difficultatem non est repudianda; quippe quæ tot ac tantis Dei testimoniorum nititur. Et quid tandem impurus homo hoc argumento promovebit? An semper ad Personæ productionem requiritur maris & feminæ concursus? Ubi ergò Parentes Adami? an & ad hujus productionem requiritur connubium? At hoc negat ipse Mohammed. Num rursum plane eum, cum hæc blaterabat, oblivio cepit Mariae Matris Jesu C. quam παρθένον fuisse concedit, an non idem de hâc quæri posset:
אֵין לְהָא וְלְהָא תִּבְנֶן לְהָא צַחֲבָה
Quomodo habebit Filium, cum ei non sit conjux? Sed quid ultius infaniam vexare juvaret? Sufficerit nobis ipsius Christi, extra omnem dubitationis aleam positum, testimonium Joh. 5. 26. Sicut Pater habet vitam in se ipso, sic & dedit Filio, vitam habere in se ipso.

21. Porro contra hanc Deitatem sic insurgit Sur. 39. 6.
אָרָא אֱלֹהָא אֶזְרָחָר וְלְדָא לְאַנְטָפִי מִמְאָה יְהָלָק מֵאַיָּשָׁא סְבָחָנָה
הוּא אֱלֹהָא אֶלְאָחָר אֶלְקָחָהָר: Si voluisset Deus accipere filium, elegisset
ex iis quæ creat, quæ voluisset. Absit ab eo. Ille est Deus unus, potens. Co-
incidit fere, licet magis perspicuum, quod habet Sur. 10. 69.
קָאַלְוִיא אָתְהָא אֱלֹהָא וְלְדָא סְבָחָנָה הוּא אַלְעָנִי לְה מֵא פִי אַלְסָמוֹת
וּמֵא פִי אַלְאָרְזָן (Christiani) suscepit Deus filium. Absit ab eo. Ipse est dives, ejus enim est quicquid in Cœlo & in terra est. Argumentum
ejus tale est: Deus non opus habet Filio, est enim Rex & Dominus
universi mundi, omnesque creaturæ ei subjectæ sunt, ut illis pro lu-
bitu uti possit, non indiget adjutore, ergo non habet Filium. Resp. 1.
In cassum litigat Impostor cum ipso Deo, eiique persuadere conatur,
illum Filium non habere, cum eo opus non habeat. Deus ait, Ego
hodie genui Filium, Apostolus Dei econtra: Annon omnes creaturæ
ad nutum tuum præstò sunt, tibique famulanter, ut Filio nullo mo-
do indigeas? 2. Quidni indigeret, seu, ut loquar convenientius,
quidni ad naturam Dei requireretur ut haberet Filium, id est, Sa-
pientiam

pientiam & Verbum æternum? Sanè, qui credunt Deum esse trinum,
illi existimant Deum esse non posse sine Filio. Meritaque est peti-
tio principii in hoc argumento. Demonstrare vult, Deo non com-
petere Filium, quod ex eo conficit, quia eo non indiget, at hoc est
ipsum τὸ κενόμενον, hoc ipsum ii negant, contra quos pugnat Pro-
pheta. Nec id ratio addita ullo modo probat. Non enim, si Deus est
Dominus cœli & terræ, ad naturam & conceptum ejus eò minus re-
quiritur, ut sit Pater. Et in hoc iterum crassam rerum divinarum
ignorantiam prodit Mohammed. Cum enim inter homines animad-
vertisset, Patres omnibus suis negotiis impares, filios in partem one-
ris ferendam sibi asciscere, è vestigio eundem conceptum male sanus
homo divinis applicavit, atque ex eo, quod Christiani Filium Deo
adjungunt, collegit ob eundem finem Deo Filium attribui, quo in-
firmus homo sibi de Filio prospicit. Male Omnipotè credimus, Deum
esse אל גבור & אל שדי, qui non egeat ullo coadjutore, aut vica-
rio in Regno suo. Sed & hoc scimus, illam omnisufficientem Es-
sentiam certis personis actu aeterno & naturali esse communicatam,
ut frusta causam impulsivam hujus generationis postulet.

22. Pergit delirare Mohammed, & hoc telum in nos vibrat
Sur. 23. 93. מא אתחד אלה מן וולד זמא באנ מעה מן אלה אדא.
לדחוב כל אלה במא חלק זלעלי בעזהט עלי בען סבחאן אלדר
עמא צפנון! Non suscepit Deus Filium ullum, nec cum eo est Deus ullus. Sane
abstulisset quisq; Deus id, quod creavit, & altus fuissest unus super alium.
Abst. hoc a Deo, quod de eo narrant. Concinit quod docet Surat. 21. 22.
לו באנ פיהם אלה לא אלה לפסחאן פסחאן אלה זו
אלעדש: Si essent in illis, cœlo & terra Dii præter Deum, corriperentur.
Abst. à Deo Domino Ibroni, quod de eo narrant. Verum, quis adeò lie-
bes est, ut nullo negotio non animadvertis, telum hoc omnipotè nos
non sauciare? nec in nos immisisset, si doctrinam nostram habuisset
perspectam. Non plures singimus Deos, essentiam Dei non multi-
plicamus (id altâ voce rursus à nobis removemus: Audiat tandem,
mentemque carnalibus desideriis & præjudicis vacuam, tan-
tisper ad doctrinam nostram percipiendam, adhibeat,) unum
credimus Deum, unicâ & sanctissimâ voluntate præditum: ut fru-
stra omnia sint quæ hic alibi que ingeminat. An vero, positâ Deo-
rum multitudine, hi effectus sint metuendi, examinare non est hujus
instituti.

23. Eidem

23. Eidem malæ ἐγχειρῆσεi originem suam debet lepidum illud colloquium Dei & Christi Sur. 5. 116. propositum, ubi ita Deus Jesum alloquitur,
יא עיסי אבן מרין אתה קלה לנוֹם
O Jesu Fili Mariae, an tu dixisti hominibus acu- &c.
אתחרוני ואמי אלהוֹן
te me & matrem meam ut duos Deos, præter Deum. Respondit Jesus: ab sit:
hoc non meum est, ut dicam de me, quod meum non est in veritate: Si hoc
dixi, certè id jam nosti: non dixi eis, nisi quod præcepisti mihi: Colite De-
um Dominum meum & Dominum vestrum &c. Quis hic non excla-
met cum Milphione Plautino: Gerræ germanæ, atque ædepol
λῆπτοι ληρῶν. Sed nec majoris ponderis sunt, quæ alibi magno
molinime nobis opponit, ut, quod cibo potuque instar aliorum
hominum fuerit nutritus Sur. 5. 79. quæque alia ejus farinæ mag-
nus nugator congerit: Cùm illa ita inficeta & ab omni ratione ali-
ena sint, ut fungus sit oportet, omnisque nostræ Religionis ig-
narus, qui non illarum falsitatem pvideat.

24. Subiectam putidis his Mohammedis argutiis pauca
quædam è multis argumenta, contra eandem Christi Deitatem ab
Asseclis ejus excogitata. Ac 1. quidem ex ipsa ejus generatione,
Deitatem hanc evertere conatur Ahmed Ibn Edris, arguento So-
cinianis non ignoto:
از אלמלוד מון שירה לא בר ואן יתקרם ואלהה :
עליה ואלימאן חס יונד אלולד בעדרה פ' ומאן אחר ואלמתאהר
באלומאן הוalachארת :
Certe quod est genitum ex alio, illud necessariò
præcedit genitor ejus. Tempus autem quo existit Filius post eum, posterior est:
qui autem posterior est tempore, ille novus est: ex quo concludit Filium
non æternum, & consequenter nec Deum esse. Verum perperam
divina hæc generatio, & nobis ἀναστάτωσις actus ad Leges &
modulum humanæ exigitur. Concedimus Ahmedi τὸ γεννήτον
necessario generanti posterior esse, sed, additâ hac necessariâ cau-
telâ, in humanis, in subjectis nostram Mentis finitudinem non
superantibus: unde nihil contra hyperphysicum illum actum con-
cludi potest. Vocabula illa, prius & posterior designant quendam
modum temporis & successionem, quæ in æternitate locum non
habent. Licet verò nullam vel maximè imperfetam hujus rei ide-
am formemus, ipsa tamen res propterea non est in dubium vo-
canda. Compescenda est fallax imaginatio, captivanda obstrepe-
ra ratio, mysteriumque nobis revelatum humili fidei obsequio
fusciendum.

25. Aliud

25 Aliud argumentum struit Alhasan Filius Job ex Christi
impotentia, ad quam probandam affert locum Matth. 20. Ubi matri
fliorum Zebedæi, primatum in Regno Christi Filiis postulanti, re-
spöndit Christus v. 23. *Sedere ad dextram meam & ad sinistram, non est
meum dare, sed dabitur quibus paratum est à Patre meo.* Ut verò taceam de
eius humanitate, quo respectu hæc potentia illi tribui potuisset,
non affirmat Christus, se non posse illos regni sui participes facere,
ac si hoc limites potestatis ejus excederet, cùm jam antea eandem
dignitatem discipulis promiserit Matth. 19. 28. Sed eos respicit, qui-
bus dandum erat, qui nesciebant, quid peterent: Ostendit itaque
suum quidem esse dare illam, sed non cuilibet, verùm illis quibus à
Patre præparatum erat Regnum, atque eo ordine & modo quo præ-
paraverat.

26 Idem porrò probare conantur ex Dei omniscientia, quam
à Christo absuisse volunt: *כֹּן וַיֹּהֶי עָלָה מֵת לְאַתְּ וַיֹּהֶי עַלְלָה Absconditum (inquiunt) fuit à Christo, quod non absconditum erat a Deo.*
Id demonstrat Ahmed Ibn Edris ex Historia de Ficu. *עֲדָם עַלְמָה בָּעַרְתָּ חִמְרָה אֶלְשָׁנָה וְאֶלְלָה תְּעַלְלָה בְּכָל שֵׁין עַלְם וְלְעַלְלָה*
Nescivit, carere arborē fructū: Deus autem excelsus omnia scit; monstratur exinde, illum hominem fuisse,
qui nihil sciat, nisi quod docetur. Alium locum ad idem evincendum,
profert Ahmed Ibn Abdolhalim, Marc. 13. 32. ubi Filius dicitur
ignorare diem Iudicii; ex quo sic argumentatur: פְּהָרָא אַקְרָא רָא
מַנְהָ בָּאָנָה מַנְקוֹן אַלְלָמָה וְאַנְּ אֶלְלָה תְּבָאָרָךְ וְתְּעַלְלָה אַעֲרָף אַעֲלָם
Et hoc est confessio ipsius Christi, se ipsum esse imperfectum scientiam.
Deum verò benedictum & excelsum habere scientiam & cognitionem se ma-
jorem. Non respondeo nunc, quemadmodum Guadagnolus ad po-
steriorem hunc locum Ahmedibn Sin Alabedin regessit: hoc nem-
*pe non ita intelligendum, ac si revera Christus diem illum nescive-*rit, sed quod ignoraverit ut Magister, id est, non noverat illum ut**
discipulis aperiret eum: Redolet enim hæc responsio non parùm
æquivocationem vel reservationem Jesuiticam, à quibus Christus
quam maximè abhorruit, ac præterea fermentum Pontificium de
omnimoda Christi Scientiā jam à creatione illi infusā in se continet:
Sed simpliciter, cùm Christus non fuerit solùm Deus, sed θεός
Θρωπός Deus & homo simul, id de humanitate ejus intelligendum

E

est:

est: quo respectu ignorantia quarundam rerum illi ascribi potest: Cūm ejus scientia pro ætatis auctu incrementa sumserit, & usu & experientiâ plurima addidicerit; unde nihil ejus Deitati præjudicat, quod de fico arbore hæserit, Judiciique diem ignoraverit, cūm ille adhuc in fatis lateret, nec mortali ulli revelatus esset: Quoad Deitatem verò illum ignorare non potuit, quippe quem ipse cum Patre prædefinivit Act. 17. 31. Et hic est perpetuus adversariorum paralogismus, quod naturas in Christo confundunt divinæque tribuunt, quæ humanæ competunt. Quo uno observato sponte cadunt plurimæ Objectiones Ahmed Ibn Abdolhalim, Alhasan aliorumque.

27. Agmen claudat argumentum Sampatis Ispahanis Persæ, quod inter alia Meletio proposita hoc est: *Nonne Christum Iudei interrogaverunt dicentes, Tune es Filius Dei? & negavit dixitq; vos hoc dicitis.* Math. 26. 63. Apage verò putidum cavillum. Quasi nempe hoc loquendi genus negativum & non potius affirmativum esset: Discere hoc ex universo N. T. ut Mat. 26. 25. facile potuisse, si modò tantillam diligentiam & attentionem adhibuisset, tum in primis ex loco plane parallelo Marc. 14. 62. ubi id ipsis Solis radiis descriptum ita habetur: ἐγώ εἰμι. Quin ex ipso hoc loco id non obscure colligere potuisse: Cui enim illa competit, sedere à dextris Dei &c. an nudo & ψ. λω. ἀνθρώπω, an verò Filio Dei? Qua de causa summus Sacerdos laceratis vestibus id ingentem blasphemiam. interpretatus est? An quia negavit se Filium Dei esse? Ut adeo satis pellueat crassa adversarii ignorantia, hocque proin testimonium tantum abest ut illi faveat, ut potius sententiam Mohammediac funditus evertat.

Corollaria.

1. *Simplicitas Dei, primarium Dei attributum, à nomine distinctè intelligi potest: Eo ipso enim, quo quis illam distinctè intelligere conatur, cessat illam cognoscere.*
2. *Efrustra Pontificii alijs Orthodoxis dissensum circa S. Cenam,*
propter

propter Sedem Tropi in verbis Domini, obijciunt, cum totæ illa controversia consistat in meris loquendi Formulis, quæ in idem recidunt.

3. Nihil obstare credimus, quò minus Arbor Scientia boni & mali, in censum Sacramentorum Fæderis Operum referatur.
4. Inepta interpretationi Hug. Grotii (pace Summi Viri dictum sit) loci Genes. 6. 3. **לֹא דָוִן רְחוּ בָּאָרֶם לְעַלְמָה** longè præferenda est vulgaris: non contendet vel rixabitur *Spiritus meus cum homine in Seculum &c.* Cum verò vox **דָוִן** vix ac ne vix quidem litigandi significatiue occurrat, judicent Eraditi, annon, retenta suetâ vocis notatione, Verba ita reddi possint: *Annon judicaret Spiritus meus homines in Seculum*, quia caro sunt, imò sint dies eorum centum &c. Non enim Scriptura insolens est Ellipsis, Notæ interrogationis, præsertim in sermonibus comminatoriis vel castigatoriis. vid. Mal. 2. 15. & 1. 8. Sensum hunc, ni fallor, expressit Onkelos, licet verbum verbo non rediderit **לֹא יִתְקִים דָוָן בֵּשָׁא הָרִין קְרָטִי** Non permanebit, vel, subsistet genera-
לְעַלְמָה: Non permanebit, vel, subsistet genera-
tio hac mala coram me in Seculum.
5. Dan. 6. 15. occurrit vox **בְּלָה** apud Hebraeos & Chaldaeos non frequentata, quam, flagitante id sensu loci, interpretantur vulgo per: *Animum, Mentem &c.* per transpositionem literarum ex Heb. **לְבָה**. Alias vocis originationes à R. Saadia Gaon recensias mitto. Praferenda ceteris videur derivatio Aben Esra: **בְּלָה**, inquit, est, **לְבָה** בְּלָשֶׁן יִשְׂמָעוֹלֶךְ, **בְּלָה**, denotat *Cor, animum, in Linguâ Arabicâ*. Frequenter enim illuc usurpatur vox **בְּאַל** hoc sensu: unde orta phrasis **לֹא יִחְתַּר בְּבָאַל** *Non venit mihi in mente.* Hinc etiâ de-rivari potest Syr. **בְּלָא**, id. Vide Versionem Syr. & Arabic. Ex. 9. 21.

6. *Frustra Doct. Drusius in Marc. 1. 17. in Theologos invehitur, quod nomen Iesu cum Iosua idem faciant. Nam, ut omittam τὸν LXX. ipsi Scriptores Sacri Iosua cum Ἰησοῦ confundunt. vid. Act. 7. 45. Et הושׁט Sacerdos Haq. 2. 7. scribitur Esr. 3. 2. עשו. Nimis hic, ut quandoq; alias, grammaticae suæ ἀναπίσεια, qua presertim in nominibus propriis saepe fallit, contra lucem meridianam induxit Vir doctissimus.*
7. *Alij, præterquam summo Sacerdoti licitum fuisse, Pontificali amiculo indai, vel Urim & Tummim consulere, ex 1. Sam. 30. 7. cogi non potest: ut incassum Doct. Cuneus Interpretates hoc nomine dormitionis insimulet.*
8. *Mal. 3. 10. והריקותי לנכם ברכה. Vocis significatio optimè videtur peti posse ex Lingua Arab. ubi ריק in 4ta Conj. τῷ Hiphil Hebraorum respondentii, notat effundere. Vide Luc. II. 50. Verto igitur: Et effundam vobis benedictionem.*

Quæ sint de Christo Mohamedis dogmata, quidve
De vero tradat pseudopropheta, doces,
Doctorisve Arabis penetras, Agnate, latebras,
Quâque potes, verum protrahis è tenebris.
Scilicet hoc Christum est, hoc verum quærere, perquæ
Oppositas nubes velle videre diem.
Hoc raræ specimen virtutis & artis habemus,
Præmia queis statuet magna futura dies.

Suo è Sorore Nepoti de egregiis studiorum quæ
sacrorum quæ philologicorum profectibus
animitus gratulatur, ulteriora subinde dono-
rum Spiritus S. incrementa adprecatus

JOH. HENRICUS GERNLERUS,
V.D.M. ad D.Theod.in Eccl.min.Basileæ.


F I N I S.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863441793/phys_0042](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863441793/phys_0042)

DFG



op in verbis Domini, obiciunt, cum tota
consistat in meritis loquendi Formulis, qua in

imus, quo minus Arbor Scientiae boni & ma-
cramentorum Fæderis Operum referatur.
tioni Hug. Grotii (pace Summi Viri dictum
5. 3. לא ידו רוח נארם לעלים longè pra-
garis: non contendet vel rixabitur
us cum homine in Saculum &c.
10. 9. 3. 2. 0. 1. C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
vix ac ne vix quidem litigandi significavit
nt Eruditi, annon, retentâ suetâ vocis nota-
reddi possint: Annon judicaret Spi-
homines in Saculum, quia caro
nt dies eorum centum &c. Non enim
is est Ellipsis, Notæ interrogationis, præsertim
comminatoriis vel castigatoris, vid. Mal. 2.
am hunc, ni fallor, expressit Onkelos, licet ver-
rediderit לא תקים דרא בישא הרין קרמי
נabit, vel, subsistet genera-
לעלים: a coram me in Saculum.

currit vox בְּ apud Hebreos & Chaldaeos non
nam, flagitante id sensu loci, interpretantur
imum, Mentem &c. per transpositionem lite-
בְּ Alias vocis originationes à R. Saadia
mitto. Præferenda ceteris videtur derivatio
inquit, est בְּ denotat Cor,
in Lingua Arabicâ. Frequenter enim
vox בְּ hoc sensu: unde orta phrasis
Non venit mihi in mente. Hinc etiâ de-
r. בְּ. id. Vide Versionem Syr. & Arabic. Ex-